

IONVM  
XXXV.



Sammelband VI

IO. STRAVCHII, ICTI

ANTECESSORIS QVONDAM IN ACADEMIA IENENSI  
CELEBERRIMI, CONSILIARII SAXONICI, CVRIAEC PROVINCIALIS,  
IVRIDICAE FACULTATIS ET SCABINATVS SENIORIS  
ET ASSESSORISQVE GRAVISSIMI

DISPVTATIO IVRIDICA SOLENNIS  
DE

# IVRAMENTO CALVMNIAE

Vom

**Eyd vor Gefahrde.**

QVAM  
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

PVBLINE DISQVIRENDAM PROPOSIT

IOANNES RUEMANN,  
RACEB. MECKLENB.

AD CANCELLARIAM REGIAM DVCATVS BREMENSIS  
ADVOCATVS ORDINARIUS.

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA EICHSFELDIANA.

1737.

(7)

10. STYACCHI. ICII

VNTTCESSORIS CONSULTARIIS 1720. IN ACADEMIA LINNEA  
SCHOLARUM LEGATIONIS ET SOCIETATIS MORTUORUM  
TARDICAE ASSOCIATIONIS GRAVIAE  
ET ASSOCIATIONIS GRAVIAE

DISTALATIO TARDICAE SOLENNIS

DE

# IVRAMENIAE CALVINIÆ

200



PRO OLTINENDIS SUMMIS IN LIGE HONORIBUS

TARDICAE DISCERNENDA IN TOTOGA VESTE

IOANNES SCOTTUS

SCOTTUS

AD QVAGELLIUM BODAM DUCITAS BREVIENS

AD VOCALIA OTIOVIA

EX OFFICINA RICHERTIANA

1720.



I. N. 2.



Ulamentum quid sit, & quæ vocis  
hujus notatio, vis & potestas, pri-  
mo loco dicendum foret. Posito  
enim genere, ponitur species. Gadd.  
in proleg. tit. de contrab. & commir.  
Sipul. n. 28. Et genus prædicator  
in quid de suis speciebus, teste Por-  
phyr. in prædicab. ante Aristot. in c. de Gen. Sed cum  
abunde id dictum reperiatur ab aliis, maxime qui in ge-  
nere de eo scripserunt, Beustius nimirum, Setserus, & plu-  
res alii, item Speckhan. Cent. 3. class. 4. qu. 1. actum agere  
supersedeo, tantum de ejus specie quadam dicturus.

§. II. Constat autem, plures ejus dari species, quæ,  
prout a Dd. summa divisione ad tres classes referuntur:  
ita eas brevi manu hic exhibeo. Et est omne juramen-  
tum, aut assertorium, aut promissorium, aut confirma-  
torium. Menoch. præsumpt. lib. 1. qu. 1. n. 34. Illud inter-  
ponitur litis præparandæ, probandæ & decidendæ causa.  
Quo referuntur juramentum, quod judicio sistendi causa  
præstatur: juramentum calumniæ, malitiæ, dando um,  
respondendorum, testimoniæ, purgationis, voluntarium,  
judiciale & necessarium: Juramentum in litem: pauper-

A tatis:

tatis: Et quo expensa litis atque interdum aliud quid probatur. *Conf. Beuf. item Setser. tratt. de juramento.*

*Istud obtinet in negotiis extrajudicialibus, muneric nimirum, & officii probe exequendi gratia; Quale est, quod præstat recens Electus Romanus Imperator in sui coronatione, & octoviris, de legibus imperii, in Aurea Bulla Caroli IV, præscriptis, regiose servandis. Id quod videre est in Schleidan, lib. i, conamen. de stat. Rel. & Reip. Et summo Pontifici, pro religione & Ecclesiæ Romanæ defensione. Extat in cap. Tibi Domino Iohanni Papæ 33. dist. 63. & in Clement. unice. §. Ego H. Romanorum Rex, & §. Porro præter juramenta predicta, de jurejur. Item Electores Imp. Rom. in sui electione: Legati Procerum Imperii in Comitiis: Notarius in sui creatione: Scholaris in sui immatriculatione: Professor in sui assumptione & receptione: Vasallus, antequam de feudo investiatur: Judex, Adseffor, Advocatus, Procurator, Magistratus, quilibet officialis, & administrator in initio & ingressu officii sui. *Hoc contractus, aut aliud actus extrajudicialis firmandi gratia intercedit.**

§. III. Hæc ita se in genere habent. Ego tantum de primi generis specie quadam, JVRAMENTO CALVMNIAE dicere proposui, ita tamen, quæ per affinitatem thematis & rationem instituti, proposito consentanea videbuntur, ne silentio prætermittam. Id namque egerim, ne hiulca sit tractatio, aut manca.

Etymologiae vocis calumniae.  
§. IV. Vocem igitur calumniæ quod attinet, dicta est ea, a calvo, calvis, ire, & passive calvor, calvi, hoc est frustrari, decipere. *I. si calviter. 233. ff. de V. S. Calvitur* autem deductum est a calvis mimos, quod, qui eos per capillos capere velint, eos frustrentur ac decipient. *No- nius Marcell. de propriet. serm. cap. i.* Hinc Plaut. in *Afin.*  
Nam

Nam ubi domi sola sum, sopor manus calvitur. Et Pa-  
cuvius in *Modo*: Sentio pater, te vocis calvi similitudine.  
Sed quid conspicio, num me lactans calvitur ætas? Unde  
veteres *Occasionem* pingebant Deam, pedibus alatam, ro-  
tae versatili citatissimo gradu circumactæ insitentem, in  
anteriore capitis parte capillis hirsutam, ut facile primum  
oblata apprehendi posset; in occipitio vero calvam, quod  
præterita poenitentia ductos frustraretur, ac deciperet, ne  
amplius se apprehendi patretur, adeo etiam ut novacula,  
quam dextra manu in tergum reflexa, continuuit, omnem  
omnino moram prætereundi sibi injectam præscinderet.

§. V. Significat autem *Calvire*, morari & frustrari. Homony-  
mia.  
*p. d. l. 233.* Nam qui calvitur, moram injicit, & adver-  
sarium frustratur: Et qui moratur, non solum frustratur,  
sed & calvitur. At qui frustratur, & calvitur & moratur. Id  
quod probat Paulus argumento conjugatorum. *d. l. 233.* In-  
de (a *Calvitur* scilicet) inquiens, *Calumniatores* appellati  
sunt. Atqui calumniatores appellati sunt, qui per frau-  
dem & frustrationem alias vexant litibus. *Paul. lib. 1. recepi-*  
*sent. tit. 5. l. 1. ff. ad sc. Turpill. l. cui necessitas. §. 1. de lib. cauf.*  
Inde & cavillatio, hoc est, frustratio, deceptio, fraus. Et  
*Calumnia* frustratio ac mora est. *l. quibus diebus 40. in pr.*  
*ff. de condit. & demonstr.* Eadem igitur calumniæ, & ca-  
lumniatoris, & cavillatoris notationis ratio est, quod in-  
star calvi frustrantur & decipiunt.

§. VI. *Calumnia* igitur sicut omnem versutiam &  
malitiam in alterius incommodum intentatam denotat.  
*Cic. lib. 2. de republ. §. 1. offic.* Ita varie committitur. Et  
quidem in *criminalibus*: Injuste accusando, & falsa crimi-  
na intendendo. *l. auxilium ff. de minor. 25. ann. d. l. 18. §.*  
*calumniari. ff. ad SC. Turpill. l. sancimus C. de pen. l. 2. C.*  
*de Cens.* In *civilibus*, vel vexandi alicuius gratia actionem

petitionemque inferendo. *I. postquam 13. ff. de petit. b. red.* *Vel solutionem indebiti, decipiendi ergo, admittendo. I. fidejussor. 28. in omnibus ff. mandati.* *Vel jus callide & perverse interpretando. Cic. lib. 1. Offic. I. i. ff. ad exhib.* Quo haud incommode referas, quod habet Beda in lib. de Orthograph. qui describit, quod sit calumniam, crimen falsum, cum nobis adversarius aut malum, quod non fecimus, objicit, aut bonum, quod fecisse probamus, in contrarium interpretari conatur. *Vel bis idem exigendo. I. bona fides ff. de R. f.* *Vel latebras & effugia, injiciendi moram querendo, latitando, fugiendo, remorando, I. i. l. 2. C. de jurejur. propter cal. dand.* *I. i. §. per calumniam ff. si mul. vent. nom. in poss. esse. I. 21. sciendum, cum ll. seqq. ff. de usur.* *I. quibus diebus 40. ff. de condit. & demonstr.* *Vel injusta actione. rot. tit. ff. de calumn.* Exceptione c. calumniam de pœn.

Temeraria litigatione aliquem vexando, & ludificando. d. c. calumniam, d. l. auxilium & rot. tit. C. de jurejurand. propter calumn. dand. Quemadmodum Cic. lib. 2. de Repub. ait: Carneadem saepe optimas causas, ingenii calumnia ludificari solitum. Temere controversiam alicui movendo. *I. cui necessitas, 39. §. I. ff. de lib. causa d. l. auxilium. ff. de minor. 25. ann. d. c. calumniam de pœn.* Scilicet prudenterque negotium alicui faceffendo vel comparando. Paul. lib. I. sent. recept. tit. 5. Nullo jure vexandi adversarii causa postulando. *I. 3. §. I. ff. ut in poss. leg. caus. esse lic.* *I. i. §. ult. I. Paulus 8. de prætor. stipul.* Et denique, ubi quis ex certa scientia, & dolo malo injuste agendo, excipiendo vel resistendo alicui negotium facefit, d. l. §. I. ff. ad SC. Turpill. d. l. i. §. per calumniam. C. de jurejur. propter calumn. dand. Addo his, quod in specie de calumnia Advocatorum, seu procuratorum scribit Gaius,

Gaiilius, ubi committi eam afferit, vel quoad merita, seu causa justitiam, vel injustitiam: vel quoad alia ad processum judiciarium pertinentia. Idque trifariam: aut calumniose differendo, aut contumaciter agendo, aut probatione deficiendo. Sicut videre est obs. 88. n. 8. 9. 10.

§. VII. Hac de calumnia quod receptum est juramentum promiscua appellatione venit in jure. Sic vocatur jusjurandum de calunnia; quæ appellatio frequens fuit primæ etati Iurisconsultorum l. de die 8. jubetur. s. ff. Qui satisd. cog. l. inter coheredes. 44. §. qui familiae ff. Famil. erciscund l. de pupillo. 5. §. qui opus. 14. ff. de nov. oper. Item juramentum calumniæ, seu de Calumniæ, sacramentum calumniæ. Quibus appellationibus usi sunt plerumque posteriores Imp. Iustinianus & Pontifices l. t. in pr. l. 2. C. rot. tit. de jur. cal. Et passim jure Pontificio.

§. VIII. Definitur autem, pro iis, quæ de calumniæ, maxime ultimo loco dicta sunt, & est juramentum calumniæ, religiosa asseveratio, qua litigatores, & eorum ministri afferunt, se non calumniandi animo, sed juris sui opinione, & fiducia fretos, bona fide & conscientia, causam suam, quam se bonam fovere putant, persecuturos. Cujac. in parat. C. b. t. l. 2. Et ibi Dd. C. eod. Wefenb. Myns. & alii Institut. de pan. rem. litig. Herm. Vult. lib. 2. jurispr. Rom. c. 31. §. 134. Obrecht tr. de juram. Cal. cap. 1. num. 19.

§. IX. Notandum hic 1. Religiosam dici asseveratio. Definitio-  
nem, cum non sufficiat, actorem & reum simpliciter dicere, se non per calumniam agere, vel resistere; sed necesse habent id jurato facere. 2. Videri posset magis convenire, cum uterque neget, se per calumniam agere, vel excipere, si loco generis negatio, nec asseveratio poneretur. Attamen cum hæc ipsa negatio in affirmatio-

tionem resolvatur, non male loco generis vocem asseverationis retineri, monet Obrecht. tract. de juram. cal. cap. 1. n. 20. Quoniam, quando uterque litigator dicit, se non calumniandi animo agere, vel resistere: perinde est, ac si diceret, se bono animo, bonaque intentione agere, vel agenti resistere, dict. n. 20. 3. Exposita est ista definitione ratio dictionis, quia dicitur hoc juramentum calumniae, vitandæ scilicet, non committendæ, Ioh. de Arnono in sua tract. jud. n. 20. Mar. Soc. in rubr. de jur. cal. n. 1. Specul. in tir. de jur. cal. §. 1. n. 8. Alberic. in rubric. C. de jurejur. propter. cal. dan. Aequa ac dicitur. 1. Cor. 7. vers. 2. cap. 2. nervi testiculorum in fine dist. 13. propter fornicationem unumquemque suam habere uxorem, & unumquaque suum virum; propter fornicationem, sc. vitandam, non committendam. Licet nostra aetate, inquit & queritur Gail. lib. 1. obs. 85. n. 4. cum Soc. potius de calumnia committenda videatur jurari, quam vitanda.

Proprium hujus juramenti, quod est credulitatis & opinionis gl. 1. circa princ. c. pen. ext. eod. per text. 1. 2. quod observari. 2. vers. Et licet C. eod. Non veritatis aut scientiæ. c. dudum 54. ubi gl. verb. de veritate extr. de elect. Etenim aliud est credere, aliud opinari.

*Scientia* ex demonstratis elicetur. Credulitas ex opinatis. Est namque credulitas, medium quoddam inter scientiam & nescientiam, sive ignorantiam. Scientiam dicimus habere bifariam: Primum in his, quæ sunt alicujus artis, sive scientiæ; & tum scire idem est, quod rem per causas cognoscere. Deinde in his, quæ sunt facti. Et tunc scire illud dicimus, ad quod movemur per aliquem sensum externum, visus puta, gustus, auditus, tactus, olfactus. Et talis scientia in teste requiritur. *Nescientia*, sive *ignorantia*, de eo est, quod prorsus nesci-

nescimus, sive ignoramus, adeo ut nec credulitatem quidem, vel fidem aliquam habeamus. Horum duorum extremonum medium est crudelitatis, sive opinio, quam percipimus ex variis argumentis, indiciis, ac præsumtionibus, per quas ad aliquem credulitatis seu fidei gradum ducimur. Panorm. ad c. 2. n. 17. b. 1. & post eius Myrsing. ad princ. Instit. de pœn. rem. litig.

## IVRAMENTI CALVMNIAE Divisio.

§. X. οὐνοματολογία absoluta ; sequitur περιγραφή της. Et primo loco venit divisio. Wesenbecius in Paratit. C. b. t. n. 4. partitur juramentum hocce calumnia, in judicale & extrajudicale. Vbi illud definit, quod in actionibus præstatur judicialibus : hoc in extrajudicialibus ; cuius & exempla aliqua proponit. Sed frequentius distinguitur in Generale & Speciale, quippe quod juris Civilis & Canonici habet autoritatem.

§. XI. Est igitur Generale de calunnia juramentum, quod statim a lite contestata, semel ad totam causam præstatur, & ad omnes sequentes actus porrigitur. l. 2. C. b. t. & ad eam Bart. n. 17. Quo differt a speciali ; Id enim ad singulos tantum actus judicii, seu ad rem in uno judicii actu propositam refertur : hoc ad totam causam & ad omnes judicij actus.

Cujacius mavult esse speciale, cum non sit de quaunque re, sed specialiter de litis contestatione, ideoque per Nov. 94. Speciali juramento calumnia accenset ; quem quoque refert & sequitur, Jul. Pac. in disp. Instit. 24. tib. 7. Verum non quidem negandum, ait Obrecht. cap. 2. n. 19. tr. de juram. Cap. hoc generale jusjurandum  
semel

semel tantum initio litis praestari; attamen & verum esse, vim hujus juramenti non in solo litis contestationis actu consistere, sed ad omnes sequentes actus porrigi, ut inde propter generalem vim & efficaciam non male generale appellari possit. Imo Dd. illud communiter constituunt generale, quod in exordio litis ad rotam causam praeatur, ut ipsi etiam Cujac, & Pac. dicit. modo locis judicant; & Welsenbec. in supplement. ad Schneid. §. 1. Inst. de pæn. temer. litig. n. 4. submonuit.

§. XII. *Jure Canonico* haec tenus non satis certum fuit, quid de hoc generali juramento calumnia statuendum. Ignotum id ei habent passim Doctores. Verum & ejus vestigia ibi deprehenduntur. Expressa quatinus ejus non sit mentio. Nam ita habetur. c. 1. princ. de jur. Calum. lib. 6. si de calumnia, seu de veritate dicenda, in primo litis exordio non juretur, ut deber, poterit postmodum in qualibet parte litis jurari. Haec de generali juramento quis accipere dubitat? Ait Obrecht. d. c. 2. n. 14. addita ratione, quod pleraque, quæ dicit. tit. de jure. Cal. in 6. continentur, de hoc juramento intelligenda sint, excepto. c. 2. §. fin. in quo juramenti malitia fuit mentio. Idemque de tit. 7. lib. 2. Decretum jubar statui.

§. XIII. In Terris Saxoniciis communis opinio est, juram. Calum. usu amplius non frequentari, sed contraria consuetudine abolitum esse, juxta gl. Lehnrecht. c. 68. verba sunt: Und wiewohl daß es nicht in unsern Rechten gewöhnlich, daß man thut juramentum caluminia. (generale scilicet, nam de eo ibi loquitur, ut communiter interpres juris Saxonici fentiant) Chil. König in proc. suo c. 67. n. 2. in fin. Henning. Goed. in proc. part. i. Rubric. 13. n. 11. in princ. Fuchs. in diff. jur. Civ. & Sax. lib. 1. diff.

47. & Wesenb. in supplem. ad Schneider. §. I. & 2. n. 4.  
instit. de pan. temp. litig. Quam, licet communem opinionem, Henning. Goed. d. modo n. n. vehementer improbat, qui dicit, hanc observantiam cum periculo animalium conjunctam, & glossam illam juris Saxonici diabolica appellat. Aliis minus improbat, qui ita perjurii, quod alias non raro timendum, evitari perhibent occasionem.

§. XIV. Verum ut ut sit, quod tradit Beust. ad Rubr. de jurejur. n. 182. in foro etiam Saxonico in Consistoriis publicis hoc generale juramentum calumniæ observari, maxime in causis matrimonialibus, idque pro qualitate personarum & negotiorum, utriusque parti a Consistorialibus imponi solere, ipse experientia edoctum habeo, & quidem ubi partes odio capitali ad invicem flagrantes, alter alterum videbatur animum induxisse lite perenni defatigare atque in exitum ferre. Quod cum alter persentiseret, malitia isti obicem positurus; mox initio litis juramentum calumniæ defert. Decretum quoque est, & impo- situm. Id quod eo cessit, ut actor metu perjurii ab actione desistere maluerit. Omnem igitur juramenti istius generalis usum negare sicut violentum: ita & dixerim impium; sed ne fiat abusus!

§. XV. Partes quæ sint hujus juramenti generalis & quas contineat infra, ubi de forma hujus juramenti agetur, dicetur.

§. XVI. Speciale est, quod in singulis actibus sive in initio, sive medio, sive fine judicij, pro qualitate & natura rerum & negotiorum varie incidentibus, præstatur. Bart. in l. 2. n. 17. C. b. t. Cujus multa in jure civili extant exempla. Ejusmodi est, quod traditur l. u. §. i. ff. rev. amot. C. 34. §. qui jusjurandum. 4. l. 37. ff. de jure-  
iur.

*iur. l. ult. C. de fideicom. l. delata. 9. C. de reb. cred. & Nov. Leon. 99. de eo, qui jusjurandum judiciale adversario defert, ut ipse prius juret, se id non animo calumniandi, sed ut rei veritas patefiat, deferre. Huc pertinet quoque l. Thesaurus 15. ff. ad exhib. l. 3. C. quem test. apert. inspic. & describ. l. i. in princ. C. eod. Nov. 49. c. 3. l. ult. C. de quaest. l. de die ponenda. 8. s. iubetur. 5. & 6. si fideiussor. 7. ff. q. satisd. cogant. l. de pupillo quasitum est. 5. s. qui opus 14. ff. de oper. nov. nunc. l. cum quidam in princ. 21. C. de fid. Instrum. l. quis 6. §. exigitur autem 2. & 1. quædam sunt personæ. 9. s. cæterum. ff. de edend l. qui bona fide. 13. s. qædam damni. 3. & l. si alieno nomine. 13. ff. de danno infecto. Nov. Constit. 7. C. in fin.*

*Jure Canonico non minus obtinet hoc jusjurandum. Eo enim, nisi ab initio litis juramentum calumniæ generale præstitum fuerit, in qualibet litis parte speciale præstare licet c. i. in pr. de iur. cal. 6. Cito & ejus aliqua exempla. Sic c. cum dilectus filius. 32. extr. de elect. & Elec. potest. Vbi excipiens contra electi intentionem, per confirmationem metropolitani, ut malignitatis & calumniæ suspectus, ad exceptionis suæ probationem non admittitur, nisi de malitia prius juraverit. Et in c. pastoralis 4. extr. de except. Qui post terminum peremptorium, exceptionem dilatoriam opponebat, cum judex certum terminum ad omnes dilatorias opponendas assignasset, ut suspectus non auditur, nisi prius juraverit, se non malitiose eam opposuisse, sed quod jam primum ad notitiam suam pervenerit. Et in c. præsentium autoritate. 31. extr. de Test. Qui post publicationem attestationum adversus personas testimoniū excipiebat, cum de eo ante protestatus non fuisset, ut suspectus non auditur, nisi prius fidem fecerit juramento, quod ad hanc objectionem*

objectionem malitiose non processerit. Et in c. literas tuas recepimus. 13. extr. de restit. spolia. qui uxori petenti restitutionem objicerat gradum lege divina prohibitum, ejusque se probationes paratas habere dicebat, recipiuntur illæ quidem, sed non aliter, quam præstito prius juramento de malitia. Et fit restitutio non quoad thorum, sed quo ad reliqua tantum. Sin vero probationes paratae non sint, plena fit restitutio, nisi magna & intolerabilis fuerit viri sævitia. Et in c. in causis 15. cap. significaverunt nobis, 36. &c. ultra tertiam. 55. extr. de testib. qui quartam dilationem ad testium productionem petebat, non aliter admittitur, nisi prius jurato affirmaverit, quod neque se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum aut artem aliquam quartam dilationem exposcat, sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequiverit.

§. XVII. Differt a generali iuramento calumniæ potissimum bifariam. Primo generale calumniæ iuramentum præstatur regulariter tantum semel ad totam causam, mox in exordio factæ litis contestationis, vel non longe post eam. l. 2. in pr. &c. ibi gl. &c. Dd. §. fin. in pr. C. de jurejur. propter cal. dand. l. rem non novam. 12. §. parroni. in pr. C. de judic. Nov. 49. c. 3. in pr. &c. 1. &c. p. nult. extr. eod.

Speciale vero, seu malitiæ, tam ante, quam post item contestatam, quoties visum fuerit e re esse, id præstari, utpote si forte suspicio malitiæ contra partem, quod malitiose quid proponat, existat, iudex a partibus recte deposit; præstitum fuerit iam ante iuramentum calumn. generale, nec ne. c. in appellationis causa 2. §. ult. eod. tit. in 6. cum dilectus filius. 32. extr. de elect. &c. elect. pot. Quod quidem Spec. tit. de jur. cal. s. l. u. 7. &c. 9.

B 2

non

non probatur, post litem nimirum contestatam hoc malitiæ præstari iuramentum, eo quod iuramentum Calumniæ generale iam semel in principali causa præstitum, ad omnia, quæ postmodum in iudicio obveniunt, porrigitur, nec fas sit, bis vel sæpius in una eademque causa iurari. *d. Nov. 49. cap. 3. & Auct. Hoc Sacramentum. & Auct. in isto iuramento inde desumptis. C. eod.* Verum priorem opinionem, & usui iudiciorum, & iuri magis conveniens esse, iam ante dictum est.

*Secundo* cavetur iuramento cal. generali, ne quid in tota lite fiat per calumniam: Speciali vero, ne quid malitiosi ei, quod petitur, vel proponitur, & quod arguit calumniam patentis, insit.

§. XVIII. Notandum autem, hoc speciale iuramentum proprio nomine dici iuramentum malitiæ: *Der Eid, Bosheit zu vermeiden. Doctores sentiunt, & hoc iuramentum de malitia vitanda speciale, non a iure civili, sed ad plenam eius a conditoribus Canonum postea adinventum & introductum fuisse. Ita est, nomen si spectes, & fatendum est, iure iustinianeo id esse incognitum. Attamen, quod iure Canonico c. præsentium autoritate, & ibi gl. in verb. iuramento extra. de testib. ac interpret. Specul. tit. de juram. cal. §. 1. n. 6. & iudiciorum moribus Ordin. Cam. part. 1. tit. 74. & passim alibi est iuramentum malitiæ id scripto civili iure quandoque simpliciter calumniæ iusurandum dicitur. aut. Cujacio. ad c. pen. extr. de juram. cal.*

*In foro Saxonico* iuramentum hoc cal. Speciale, quod, sicut jam dictum est, vocant malitiæ, hodie pro judicis, arbitrio, quotiescumque in processu necessarium existimat, imponi potest litigantibus, adeoque in qualibet iudicii parte, tam ante, quam post litem contestatam re-

ete

Et exigitur. Gail. lib. 1. obs. 87. n. 3. Carpz. decis. 56. n. 3.  
Struv. exerc. 17. ib. 71. Sunt tamen aliquot casus, qui-  
bus hodiernum insignis, potissimum, & frequentissimus  
ejus est usus.

§. XIX. *In Probationibus.* Ubi speciale & proprium  
nomen induit, & appellatur juramentum dandorum &  
respondendorum. De cuius ratione, & usu, ut plenius  
dicam, majoris evidentiæ, & intelligentiæ gratia, hæc  
præmitto. Facta secundum processum judiciarium, litis  
contestatione, & præstito juramento calumniæ, tam A-  
ctori intentionem in libello comprehensam, quam Reo  
nonnunquam exceptionem propositam, probandi onus  
injungitur. Omnis autem probatio vel in facto, vel in  
jure demonstrando consistit. *Jus in facto*, vel proposita  
facti specie, ingenio, doctrina, diligentiaque advocati,  
vel vi publicarum legum & canonum, vel consuetudinum  
& statutorum autoritate, vel argumentis denique ex  
ipsa rerum natura rationeque deductis ostenditur. *Lagus*  
*in Method. iur. part. 5. cap. 19. n. 18.* *Factum* autem non  
solum propria adversarii confessione, testibus, instrumen-  
tis, aliisque antiquis monumentis, & jurejurando: sed  
etiam communi fama & opinione, publicarum persona-  
rum denunciatione, præsumptionibus, signis & indiciis  
probari potest. *Lagus d. modo loco.* Confessio rei in ju-  
dicio adversa parte præsente facta, firmissimam & liqui-  
dissimam facit probationem. Idcirco litigantes ad eam  
per positiones, sive articulos suos eliciendam, primo o-  
mnium configunt. Quam quidem probandi rationem,  
ob faciliorum litium expeditionem, usu longævo in cau-  
sis passim receptam, Pontifices ipsi approbarunt, & quod  
hodie pleraque Curiæ sequuntur, & in posterum obser-  
vari voluerunt. *Clement.* Sæpe vers. Et quia positiones de  
V. S. B 3. Judicio

Judicio hoc modo constituto, actor ejusve Procurator libellum certis quibusdam articulis ab initio distinctum, sicut ante Reformationem Ratisponensi usurpatum fuit, positionum loco repetit, & additionales articulos, si quos habet, omnes simul proponit. *Ord. Cam. part. 3. tit. 14. §. 1.* Gail. *obs. 79. num. 3.* & Myns. *cent. 5. obs. 88. n. 1.* jam vero, ubi articulatus libellus (quemadmodum is libellandi modus per *Recessum de anno 1654. §. 34.* excepto casu probationis, abrogatus est) desit, & summarius substitutus est. Exhibitio libello isto summariorum, Actor, quo eliciat adversarii confessionem, positiones suas ex substantia & visceribus libelli propositi conceptas & decerptas, intra terminum a judice præfixum, in scripturam redactas, numerisque distinctas exhibere tenetur. *Ordin. Cam. d. p. 3. tit. 14. §. 2.* Myns. *d. cent. 5. obs. 88. n. 2. 3. & seqq.* Idque juramento dandorum interveniente, quod nimurum actor non calumniose, sed sui juris conservandi causa, positiones hujusmodi sive articulos produxerit. *Ord. Cam. part. 1. tit. 69. & seqq.* Gail. *d. observ. 79. n. 10.* Positionibus his oblatis, & diligenter, accurateque examinatis, judex, num admittendi, vel rejiciendi sint, interlocutoria sua sententia declarat *Gail. 2. obs. 81. n. 1. & 14.* Admissis a judice positionibus, Reus intra terminum præfixum, exceptiones suas, sive articulos defensionales (non item peremptoriales, & elisivos, quos contrahendæ litis ergo præscidit *dict. Recess. de anno 54. §. 41.*) opponit. *Ord. Cam. part. 3. tit. 15. §. 1.* Si nullos habet, singulis positionibus, sub jurisjurandi respondendorum articulorum religione, pure, clare & simpliciter, per verbum: credo non credo, respondere tenetur. *Ord. Cam. dict. part. 1. tit. 71. 72. 73. & p. 3. tit. 15. §. 1. 2. & seqq.* Gail. *lib. 1. obs. 82. n. 1. & seqq.* Mynsing. *cent.*

cent. i. obs. 86. Et ita tam Actor, quam Reus per adversarii confessionem ad articulos, vel positionales, vel defensionales, mediante juramento dandorum & respondendorum, rite factam ab onere probandi, tam jure pontificio, quam Cæsareano relevatur.

§. XX. *Dandorum* igitur juramentum illud est, quo pars illa, quæ ad eliciendam adversarii confessionem, ut ab onere probandi relevetur, positiones edidit, confirmare cogitur, veros esse, quos exhibet articulos, quoad proprium factum: Cæteros autem de facto alieno conceptos, se veros & probabiles credere. c. præsentium. 2. de testib. & attest. in 6. Gail. d. l. i. obs. 79.

*Respondendorum*, quo ponentis adversarius confirmat, se ad articulos exhibens, & quidem singulos, quatenus de jure responsales sunt, per verbum credo, vel non credo, veritatem sine fraude dicturum. Ultramque formulam, qua aut Principales, aut Procuratores eorum nomine jurant, videre est. Ord. Cam. part. i. tit. 69. 70. 71. 72. 73.

§. XXI. Hic quæritur. *An præstito de calunnia iuramento, hoc dandorum & respondendorum iuramentum nibilominus exigere liceat?* Affirmatur; tum propter generalitatem textus d. c. 2. de Testib. & attest. in 6. ubi expresse constitutum reperitur, ut præstito juramento de veritate dicenda, & ponendo & respondendo, dicatur veritas, Tum, quod juramentum hoc Dandorum & Respondendorum sub juramento calumniæ vitandæ non contineatur: Tum & denique, quod in Ord. Cam. & aliis passim provincialibus, diversæ ejus formulæ propoununtur.

Notandum autem, quod si ponens juramentum dandorum præstare renuat, nec adversarius, ut Respon-

den-

dendorum præstet, compelli possit. arg. c. non licet actori,  
 32. de R. I. in 6. Bald. ad c. in pertra&landis 3. exxv. de iur.  
 Cal. & ad l. iudices 9. C. de iudic. Commentator in Ordin.  
 Cam. d. tit. 69. p. 1.

§. XXII. In Appellationibus. Olim controversa  
 fuit inter Glossatores, Plazentinum, Azonem & Johan-  
 nem quæstio, num tam in secunda Appellationis instan-  
 tia jurandum sit de calunnia, quam prima. Quarum  
 illi duo negativam tenuere, hanc ob causam, quod ju-  
 ramentum Calumniæ in una eademque causa, non nisi  
 semel ad totam causam præstandum sit; quippe quod vi-  
 res suas ad omnes articulos illius instantiæ porrigit, ita  
 ut non opus sit illud repetere; ut habet Nov. 49. c. 3. &  
 ibi gl. in verb. nequaquam. & Aurb. Hoc sacramentum inde  
 desumpta. C. eod. Johannes autem affirmativam, suisque  
 rationibus motus, tum, quod causa appellationis alia sit,  
 & diversa a causa principali: tum quod in causa appella-  
 tionis quis injuste litem movere possit, etiam si in causa  
 principali sive primæ instantiæ id non fecerit: tum deni-  
 que, quod lex iteratam hanc jurationem expresse requi-  
 rat. l. qui bona. §. si quis stipulatus ff. de Damn. infest. l.  
 properandum 13. §. bis omnibus. C. de iudic. c. 2. in princ.  
 eod. in 6. Quæ sententia communi Dd. calculo proba-  
 tur. Nec obstat citata Nov. 49. c. 3. §. 3. & inde desumpta  
 aurbente. Hoc Sacramentum. C. b. t. Existimant enim  
 Dd. authent. istam loqui de iuramento calum. generali,  
 quod post litem tantum contestatam præstatur: non de  
 speciali, quod ante & post eam præstatur. Unde non  
 obstat, quod semel tantum iurari debeat. Semel enim  
 iurari debet post litem contestatam. Rationem dat Ma-  
 gnif. Dn. Richterus. Expos. sua ad auth. hanc, quia lex an-  
 tecedens generaliter loquitur de omnibus causis, & de  
 iura-

juramento ante & post litem contestatam præstando. Ideo dictam Auth. quæ correctoria esset, corrigere hoc tantum, ne post litem contestatam sèpius iuretur. Hanc que ob causam non obstare, quo minus etiam in causa appellationis id juramentum repeti possit. Hanc dictam Johannis sententiam ajunt Dd. in praxi obtinere; Sicut & quotidiano usu, & consuetudine non illaudata edocemur, appellations ad superius Tribunal non admitti, nisi jurent prius appellantes, se non temere, aut ad differendum per calumniam negotium, sed extrema necessitate appellare coactos. Myns. Cent. 3. obs. 56. Tantæque necessitatis quibusdam in locis est, ut sub poena commissi appellantes necesse habeant se ad id sistere; velut sanxit ordo Summi Tribunalis Regii, quod est Wismariæ part. 2. tit. 3. §. 4. Quamvis secundum Gail. obs. 124. in Camera imperiali tam noxiū non sit id omittere.

Hoc juramentum utcunque nuda appellatione calumniæ seu appellationis venit, ad specialia malitiæ jura menta proprie referri adstruit Henr. Giesebert. Stat. art. 5. n. 175. & 176. Argumentum ejus quod attinet, pro varietate locorum, passim varium reperitur; quippe in quo formando statutum aliud alio magis sollicitum fuit, eum in finem, ut tanto magis pruritus appellantium refrñaretur. Sic alibi locorum jurant, quod credunt, justam se habere causam appellandi, atque spem jus æquius obtinendi in secunda instantia, idque citra calumniæ malitiam: Alibi addunt se velle proseQUI: Alibi subnectunt cautionem sub nexu omnium bonorum, aut si alias non sufficiunt, juratorium, judicatum se soluturos cum damno & interesse. Giesb. d. n. 177. 178. & 179. Loco huic de jure mento appellationis, ut colophonem imponam; haud inscite hic querere mihi videor:

C

Quid

*Quid juris judex, aut pars in juramento appellationis  
babeat; num quibusvis judiciis sine discrimine competat,  
an iis tantum, quibus id per modum privilegii concessum  
est?*

Ansam hanc quæstionem expediendi præbet mihi ca-  
sus aliquis, qui nuper in Municipaliter quodam judi-  
cio contigit, ubi parte altera a sententia contra se lata ad  
Principem ejusve Cancellariam provocante, altera, ut  
appellans juberetur juramentum appellationis præstare,  
nec prius acta ederentur, deproposit; id loci introdu-  
ctum ac usurpatum dicebat. Quæsitum est, quid hac de-  
re statuendum sit.

Non adeo constat hac de re, quippe de qua non memini,  
quid sentiant Dd. uspiam legisse. Ego quod sentio in medi-  
um proferre non erubesco, qui meam opinionem matu-  
riori aliorum judicio lubens submitto: Verum est, idque  
concedendum erit, de interposita appellatione jurari. Sic  
in Saxoniam Superiori, ubi quibusdam in locis plures dan-  
tur instantiæ, nullibi hoc juramentum frequentatur, Fo-  
ris quoque illis plane incognitum est. Alibi in Inferiori  
Saxoniam, ubi hoc juramentum plurimum viget; haud  
protinus: in quibusvis inferioribus instantiis locum inve-  
nit, sed tantum in celebrioribus Ducatum, & civitatum  
judiciis. Sicut igitur hoc speciale quid est, ita & attinet  
speciale causam habeat, hoc modo, ut, ubi juramen-  
tum illud receptum est, jus illud aut præscriptione seu  
longo usu, aut concessione quæsitum esse oporteat. Et  
utroque casu merito audit privilegium, quod non com-  
petit, nisi qui id docere poterit. Sic Cancellaria Duca-  
tus Bremensis gaudet isto jure, quod Reg. Majestas Sveciæ  
tanto munimine firmavit, ut Ordinatione Summi Tri-  
bunalis, quod est Wismariæ, sicut jam supra dictum est,  
sanxerit,

sanxerit, ne quis appellantium juramentum illud sub præjudicio beneficii appellationis prætermittat. Item utitur Civitas Lubeca hoc privilegio, a Carolo V. Imperatore sibi coacesto; quemadmodum id Dn. Mævius Comment. suo ad jus Lubecense lib. 5. tir. 9. n. 10. retulit. Sed dixeris, juramentum hoc appellationis est juramentum calumniæ speciale, igitur, quovis tempore & parte judicii petere licet, nec speciale concessionem supponit. Verum, postquam prima instantia desit; nec ibi tempestivum erit ratione calumniæ, si ejus suspicio suboriatur, agere; sed id in secunda instantia petendum foret, ubi, sicut in prima instantia, quavis parte id integrum erit. Et notatum dignum est, Appellatum non habere, quare juramentum appellationis urgeat, nec ipsius, sed potius judicis id esse; quippe cuius ius & autoritatem respicit. Concludo igitur, aut iudex primæ instantiæ notorie quæsitum habet privilegium hactenus dicti iuramenti appellationis; & de substantia processus erit id præstare: aut non constat de eo, & neque iudex, neque pars id expetere poterit.

## DE ORIGINE JVRAMENTI CALVMNIAE, ET AN POSITIVO JVRE INTRODVCTVM SIT?

### §. XXIII.

**A**d causarum tractationem accessurus, haud intempestivum visum est, ab origine huius iuramenti exordiri, sicut nec iniucundum duxi, cum eius primordio, quæ eam secutæ sunt mutationes, differere; quippe quæ haud levi obscuritate hanc materiam involvere. Ad originem igitur quod pertinet, historiae Romanae docent, quantam fuisse curam Numæ Pompilii circa formamdati

C 2

Rem-

Rempublic. potissimum circa leges sanciendas. Iterum quas novem constituerat, lex *tertia* agebat de iure privatum, in specie de fide & constantia contractuum; Cuius tria erant capita. Aut præsentibus testibus contractus erant initi, & cautum erat, inviolatos eos custodi: aut sine testibus, si exinde oriretur controversia, ut ex alterius litigantium fide, dirimeretur, nec lis protraheretur: aut denique, ut in causis dubiis, Magistratus ex alterius fide, iurata scilicet, rem terminaret. Valent. Forster. part. 2. leg. tert. p. m. 358. Hanc circa Numæ Pompilii legem de iuramento necessario, inducta sunt insecuris temporibus a veteribus JC. & Imperat. duo iuramentorum genera; unum sub initium litis solitum, iuramentum nimirum hoc calumniæ; alterum post eam finitam de in item iureiurando. Forst. ad d. l. tert. n. 109. Quemadmodum ea in Pandectas, Codicem & Novellas constitutiones cernimus transcripta. In Pandectas inquam. De quo forte ambigis, cum Justinianus, qui se iurisiurandum huius de cal. authorem deprædicat arg. l. 2. C. b. 2. id sibi velit deberi: Etenim dantur in iis vestigia, quæ satis evincunt, & harum tempore iam ante Justinianum hoc innotuisse; quæ hic, cum supra tantum leviter terigi evidenter, iuvat exprimere. Sic eius sit mentione a Paulo in l. cum de indebito. 25. §. fin. ff. de probat. Ubi regulam proponit, quod in omnibus visionibus, quas ibi Paulus proposuit, licentia concedenda sit ei, cui onus probationis incumbit, adversario suo de rei veritate ius iurandum inferre, prius ipso de calumnia iurante. Idem iterum in l. quidam 9. §. cæterum 3. ff. de edend. Coeterum omnibus postulantibus & iurantibus, non calumniæ causa se petere rationes, quæ ad se pertinent, iubet. Et iterum in l. de die 8. §. jubetur. 5. ff. qui satisd. cog. iubetur iura.

iurari de calumnia, ne quis vexandi magis adversarii causa,  
forsan cum Romæ possit satisdare, in municipium evocet.  
Sed quibusdam hoc iusjurandum de calumnia remittitur,  
veluti parentibus & patronis. Ita & Ulpianus: Qui iusurandum  
desert, prius de calumnia debet jurare, si hoc exigatur.  
Hoc jusjurandum de calumnia æque patrono, parenti-  
busque remittitur l. jusjurandum & ad pecunias. 34. §. qui  
jusjurandum. 4. de jurejur. It. iterum: Qui novum opus  
nunciat, jurare deber, calumnæ causa, novum opus  
nunciare. Hoc jusjurandum autore prætore desertur;  
idcirco non exigitur, ut juret is, qui nunciat, antequam  
jusjurandum autore prætore exigatur. l. de pupillo. 5. §.  
qui opus novum 14. ff. de nov. oper. nunc. Et iterum: Qui  
damni infecti caveri sibi postulat, prius de calumnia ju-  
rare deber. Quisquis igitur juraverit de calumnia, ad-  
mittitur ad stipulationem l. qui bona fide 13. §. qui damni.  
3. ff. de damn. infect. Et alibi: Exigitur autem ab ad-  
versario argentarii jusjurandum, non calumnæ causa po-  
stulare, edi sibi, ne forte vel supervacaneas rationes,  
vel quas habet, edi sibi postulat, vexandi argentarii cau-  
sa l. si quis 6. §. exigitur. 2. ff. de edend. Et denique:  
quia familiæ eriscundæ, & communi dividundo, & fi-  
num regundorum agunt, & actores sunt & rei. Et id-  
eo jurare debent, non calumnæ causa litem intendere,  
& non calumnæ causa ad inficias ire. l. inter coheredes.  
44. §. qui familiæ. 4. ff. fam. erisc.

Ex quibus omnibus patet, & manifestum redditur  
jurisjurandi delatione, novi oporis nuntiatione, de da-  
mno infecto cautione, editione rationum, judicio fini-  
um regendorum, communi dividundo, ac familiæ eri-  
scundæ, denique in omnibus postulationibus jusjuran-

dum hocce jure Digestorum exigi solitum fuisse, idque prætore autore.

§. XXIV. Hanc autem notitiam, quam jus Romanum hoc de juramento habuit, debet Roma, secundum Schneiderv. quem vid. lib. 4. Inst. de pæn. rem. litig. Athenis. Ex moribus enim & instituto Atheniensium, ut multa alia, ait, primam id traxisse originem; quippe ubi actor & reus æque de calumnia jurassent, illiusque jusjurandum ἀτροποτα : hujus διωροσία appellatum fuisse.

Vt ita non sit, cur Justinianus juramenti huius primordia sibi sumperit. Id ille præstitit, ut post ius illud, quod per Digesta dispersum est, constitutionibus aliquor iuriurando huic certum modum dedit. Et quidem primo, ut in omnibus causis, in quibus necessitas probandi incumbit, pars non aliter probationes eas præstare compellatur, nisi prius, qui eas exposcit, de calumnia iuraverit, quod non differendi causa iurisiurandi proposuerit allegationes. Nam, inquit, sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur. I. i. in pr. C. de jurejur. propter cal. dand. Et hæc lex prodiit anno Christi. 529.

Anno Christi 533, huic subdidit aliam, quæ continetur l. 2. C. eod. qua sanxit, & ipsas partes principales, & Advocatos, illosque primo, deinde hos iuramentum subire debere, idque post litem contestatam, ita, ut actor iuret litem calumniandi animo se non movisse: Reus, se bona instantia uti: post hæc utriusque partis Advocati SS. Evangelii ad iudicem positis. d. l. 2. §. 7. Hisque alia constitutione formam iuramenti præscripsit, ut eam videre est l. rem non novam. 24. §. patroni autem i. C. de judic. Quia ipsa & hoc sanctum, ne ullum litigato-

gatorem prius admitteret, nisi prius ante sedem iudicialem S. S. scripturis depositis, iisdemque ibi manentibus, usque ad definitivæ sententiæ recitationem. d. l. 14. in princ.

Quod autem dictum est de iuramento a partibus præstanto, extendit Imp. d. §. 3. ut nec procurator, per quem causam agit, admittatur, nisi præstito ab eo iuramento. Porro sancit §. 4. Ne remittatur hoc iuramentum, sed omni modo, & ab Actore & Reo exigi debeare, poena in recusantes statuta, in Actorem, ut causa cadat; Reum, ut pro confessio habeatur. dicit. §. 6. & 7. Et denique quando præstari debeat. §. 9.

Has duas constitutiones excepit tertia anno Christi 535. lata, quæ proponitur *Auct. de his, qui ingrediuntur, ex Nov. 49.* petita. Et reduxit Justinianus veterem obseruantiam, quia remitti poterat hoc iusurandum; Emedata sic lege. 2. quæ id prohibebatur. Deinde, quia plures exigere permisum erat, ut semel tantum exactum, & præstitum sufficeret.

Denique post has omnes Romani Imperii 15. Chr. 541. quartam promulgavit sub *Auct. de litigat.* vel *Nov. 124.* ut litigantes jur. in exord. lit. Hac formam de calumnia iurandi præscribit, & de personis litigantium, quæ ad iudicem venire nequeunt, quomodo id præstare debant.

His ita constitutis, antiquavit Justinianus pœnam antiquitus in temere litigantes propositam, qua decima litis parte, libello comprehensa, multati fuerunt, eiusque loco iusurandum hoc calumniæ surrogavit, ut improbus litigator damnum & impensas adversario suo inferre cogeretur. §. 1. *Instit. de pœn. tem. lit.* Et hæc fere summa est eorum, quæ in ff. & C. circa iusurandum calumniæ

lumniæ proposita leguntur; quæ argumento sunt, iuramentum hocce calumniæ, & iure ff. fuisse cognitum, & auctum iure C. sicut voluit Cyn. in l. 2. C. b. t. & ibid. Bart. n. 9. & Bald. n. 4. vers. querunt. hic Marian Socin. in rubr. extr. de jur. Cal. n. 16. & in 6. in pertractandis. n. 5. in princ. ibid. atque ita iuris positivi.

§. XXV. His postmodum accessit Ius Pontificium, quod binis locis de hoc iuramento agit, lib. 2. tit. 7. Decret. Greg. de juram. Cal. & lib. 6. decret. Bonif. lib. 2. tit. 4.

Hoc restringit in quibusdam constitutiones Iustinianæ, & addit iuramentum malitiæ, in quacunque iudicij parte præstandum c. cum dilectus. s. nos vero attendentes ext. de elect. c. præsentium extr. de test. Spec. tit. de juram. Cal. §. 1. n. 6. & 9.

§. XXVI. Huic superiori seculo successit ius Roman-Germanicum, a Carolo V. ordinatione Camerae introductum, quæ huic iuramento certum dat modum, quem universa Principum Dicasteria sequuntur; Et agitur de eo dict. Ord. part. 1. tit. 95. Additum quoque est ex ea ipsa constitutione Carolina, iuramenti illis calumniæ & malitiæ, iuramentum dandorum & respondendorum; de quo videre est dict. Ord. Cam. part. 1. tit. 69. 70. 71. Demum Recessu imperii de anno. 1654. §. 42. & 43. nova accessit constitutio, qua de integro præscriptum est, quid sequendum sit circa hoc calumniæ, item & dandorum & respondorum iuramentum. Quæ suis ubivis locis moneantur. Ex his igitur, quæ iam de origine & progressu iuramenti cal. dicta sunt, elucet, iure positivo, Civili, Canonico & Publico istud esse introductum.

Quinam

Quinam ira mentum calumniæ præstare  
tenentut, nec ne.

§. XXVII. Dicta causa iuramenti cal. constituen-  
te, proximum est, de his, qui id exactum subire necesse  
habent, nec ne, dicere. Et regula est: Quod omnis  
persona litigans p̄ticipalis, tam Actor, quam Reus, pri-  
mo nimirum ille, deinde hic tenetur præstare iuramen-  
tum calumniæ. l. 2. in pr. §. sed quia, in fin. s. quod si A-  
ctor. C. b. t. de jurejur. propter cal. dand. Est autem Prin-  
cipalis, qui suo nomine litem agit, vel, ut inquit gl. ad  
autb. Principalis. qui est litis autor. text. in l. 2. §. t. circa  
med. & in §. hoc etiam in fin. & in Autb. Principales pers.  
C. b. t. Principales igitur ipsi & per se iurabunt; non  
autem per alios. Nec id solum juri Civ. consentaneum  
est (licet de jure Canonico ex c. fin. de juram. cal. in 6.  
aliud videri posset, quod sufficiat per procuratorem jura-  
re) p. d. l. 2. in pr. §. sed quia in fin. §. quod si Actor. C. b.  
t. sed & magis pium & Reip. interesse censetur; quando-  
quidem ita calumniis omnis præciditur occasio &  
justitia intrepide absque personarum respectu administra-  
tur. Sic cum, qui conscientiæ scelere percussi, jurare  
debent, fieri aliter nequit, quin sub magistratus oculis  
se ipsos rubore aliquo indicent, atque ita a pejerandi  
consuetudine abducantur, animæ salventur, dicafteria &  
judicia passim omnia non ita prolixitate causarum intri-  
centur, & vexentur. Imo Principalis, cuius res est pro-  
pria, melius causæ veritatem scire, magis ex conscientia  
jurare, minusque pejerare præsumitur, quam procura-  
tor, quia principalis de re propria, ac Procurator de a-  
liena jurat. Herm. Latb. tratt. de Censu. lib. 2. c. 7.

Alias ex usu esse constat, maxime in terris Saxon-  
cis,

cis, personalem præstationem requiri, nec permitti per alios ad agere, ut mox dicetur.

§. XXVIII. Quid igitur? postquam conducibilius & salutarius esse dictum est, ipsos Principales de calumnia jurare, *An nullo modo id licet per Procuratorem?* Jure Civili minime licet, quia iniquum videtur de alieno facto alium jurare, *I. Marcellus. II. §. jurare. ff. de act. rer. amor.* Sed debent soli Principales juramentum calumnia præstare. *I. 2. §. fin. autem cum. §. seq. in fin. C. b. 2.* Proprias namque causas melius intelligere præsumuntur, quam Procuratores, qui sunt tantum rerum alienarum administratores. Secus est jure Canonico; Hoc enim & Principales, & eorum procuratores præstant. *c. 3. 4. & 6. de jur. cal. ratio hæc est, quia per litis contestationem Domini facti sunt. I. neque II. C. de Procur.* Hoc jus sequitur Camera Imp. Ibi enim quotidie fieri testatur *Gail. lib. i. obs. 83. n. 2.* ut hujusmodi juramenta in animam Domini præstentur, sed ut Speciale hoc nomine mandatum producetur, in quo hujus juramenti diserta fiat mentio, tum secund. *Bart. causæ, in qua præstatur.* Quamvis in Camera hoc posterius minus attendi, refert idem Gail. sed sufficere, si mandatum contineat potestatem concessam juramentum istud præstandi, quatenus opus sit. Nam in generale mandatum, quod ad quasvis causas datum est, non venit delictum, & generalitas illa de justis tantum causis intelligitur. Quo fieret, nisi Procurator vigore talis generalis mandati de jurando in causa injusta pro Domino juramentum istud calumnia subiret, Dominus non obligaretur, nec per consequens in perjurium incideret d. n. 2. Quod tamen restringitur, nisi in generalibus illis mandatis expressa fiat juramenti hujus cal. mentio, nam tunc vi eorum in omni-

omnibus futuris causis per procuratores præstari posse,  
tradit saepe dictus Gail. d. n. 4. qui conferatur.

Verum, utut hæc ex usu Cameræ ; Jure Sax. secus  
habet. Nam id respondet in hoc juri Civili, & in pro-  
pria persona juramenta jubet præstare, nec permittit  
per alium expedire ; In quod & jure consuetudinario  
observari docet Zobel. part. 1. diff. 27.

*Sed quid ? si plures sint cause Consortes, Num quid  
eorum aliquis reliquarum nomine jurare potest, ut non ne-  
cessere sit, omnes simul compareant, & corporaliter jurent ?*  
Affirm. & ita decretum habet Magnif. Dn. Mævius in  
suis Decis. part. 1. decis. 230. ita tamen, ut is mandatum  
habeat. Rationem addit in Commentario, quod inter-  
sit inter procuratorem, cuius causa plane aliena est, &  
litis Consortem, cuius est propria, & cum aliis commu-  
nis. Etenim quæ ratio in hoc, ut in personis juretur,  
subest, eandem quoque ait esse in eo, ut etiam pro aliis  
veritatem testari possit.

### §. XXX.

*Quando igitur personalis præstatio sit tanta religionis  
momenti ; quidnam dicendum erit de Universitati-  
bus, quomodo iis præstandum sit hoc juramentum, an nou-  
licear per Syndicum ?*

**E**T Universitates teneri de calumnia jurare, indubitat  
juris est. c. Imperatorum. de juram. cal. Specular. in  
tit. de jur. cal. §. 3. n. 9. Iam quæstio est de modo præ-  
standi iuramentum. Omnes de Universitate ut iurent  
ridiculum foret, inquit d. gl. in verb. vel a plurima in vers.  
esse enim ridiculum. Sed ea ipsa ibidem in verb. idonea. in-  
quit, Universitatem recte iurare, ubi idonea pars illius  
iuret, licet non sit maior pars. Id quod approbat Dn.  
Carpzov.

D 2

Carpzov. in proc. tit. 24. n. 20. & quidem si universitati seu Collegio iuramentum principale, aut de calunnia iudicialiter delatum fuerit, quod per tres vel quatuor ex collegii vel Vniversitatis senioribus præstari debeat, quia illis negotium principale melius, quam Syndico, & Advocato cognitum est, l. municipibus. 97. ff. de condiz. & demonstrat. l. 14. ff. ad municip. Nec syndicus in foro Saxonico, ut nomine universitatis iuret admittitur, licet speciale exhibuerit mandatum, secund. Mollerum, Rauchbar. & Coler. Quod ipsum nuper in vicinia vidi urge-ri. Notandum hic autem est, ea, de quibus Syndicus exactiorem habet potestatem, per eum nomine universitatis recte expediri; velut dict. loc. Dn. Carpz. addidit.

§. XXXI. Annon dignitas, sexus, vel ordo Clericalis a præstatione iuramenti calumniae liberat, relevat aut excusat? Dignitas & sexus, a præstantia huius iuramenti neminem excusat l. 2. §. fin. autem. C. b. 1. Singulare ta-  
men quicquam indultum est iis circa præstationem, tam istius, quam aliorum iuramentorum, nimirum, ut hoc nomine ad Judicem ire non cogantur, sed domi iurent præsentibus officialibus iudicis, & citato adversario, ut iuris iurandi præstationi, si velit, interesse possit. d. l. 2. f.  
fin. autem 1. C. eod. l. ad personas egregias. 15. ff. de jure ju-  
rand. Nov. 124. c. 1. vers. si autem. Idem quoque conce-  
sum est honestis Mulieribus, ut coram Iolis Officialibus  
iurent, etiam excluso & non citato ad hoc adversario.  
d. jam. Nov. 124. c. 1. vers. si vero mulier fuerit. Relin-  
quitur autem iudicis arbitrio, ut is dispiciat, utrum a Principali potius ob honestatem personæ, an vero a Pro-  
curatore iuramentum exigendum sit. Speckhan. cent. 3.  
cl. 4. qu. 2. n. 10.

Clerici

Clerici regulariter judicio sisti, & judicatum solvi, jurare non coguntur; Dantur autem præter hæc certi casus, in quibus jurare compelli possunt, utpote de calumnia vitanda, maxime, si venia superioris, & rescriptum accedat: si de fama sua purganda agatur: si pro recta fide sit jurandum: & pro alienatione rei Ecclesiastice. Qua de re plenius & distinctius videre est c. i. pen. & ult. Et ibi gl. & Dd. X. eod. gl. in l. 2, §. sed quia veremur. 4. verb. remitti in med. gl. in l. cum Clericis 25. in v. prohibentur. C. de Episc. & Cleric. Wesenb. in supplement. ad Schneid. §. i. n. 6. vers. Non coguntur tamen Vigil. in M. jur. Pontif. lib. 2. c. ii. eod. tit. reg. i. except. 2. Et lib. 3. c. i. reg. 83. Specul. eod. tit. n. 7.

§. XXXII. Principalibus, de quibus hactenus sermo fuit, secund. gl. in voc. migraverit, ad autem. Principales. accensentur quoque Heredes. Nam mortuo testatore, per quem lis incepta est, eadem lis in ejus successorem vel heredem derivatur. l. si cum hominem ff. de fidem jussi. Siquidem is cum defuncto una est persona. Joseph. Ludov. comm. concl. 16.

Objicitur hic: Autb. hoc. Sacramentum C. b. i. cautum est, semel jurasse sufficere; si igitur defunctus de calumnia juravit, dicendum foret, heredes postmodum ut jurent, cogi non posse. Resp. Heredem & defunctum hic non sustinere eandem personam. Nam licet Principalis juraverit, & deinde successor juret; tamen non jurat ut principalis, scilicet in animam defuncti; sed jurat in animam suam vid. Siehard. ad Autb. Principalis. C. b. i. n. 2. Hactenus de personali seu corporali præstatione.

Sed & ordinis in jurando in initio hujus loci mentio facta est, pauca igitur & de eo dicenda erunt. Hunc non obscure proponit l. 2. in princ. C. b. i. Et est de ju-

D 3  
re

re Communi hic, ut prius juret Actor, deinde Reus. add. gl. *ibid. in verb.* Et actor quidem. & Bart. n. 18. & Sichard. n. 8. & 9.

Non est autem ita sanctus hic ordo, ut non liceat eum invertere, siquidem processui non infert vitium, quod prius juret Reus, post Actor. Non est de substantia & *sorita* hic actus, sed est levis tantum quædam solennitas, quæ etiam sine nullitate recte omitti ac negligi potest. Sichard. d. n. 8. arg. l. 1. §. fin. ff. de vent. *in p. c.* ubi dicitur, levem solennitatem etiam omissam actum non vitiare.

Nec obstat §. 1. *Instit. de pœn. tem. litig.* Ubi Reus prius jurare dicitur. Id prius enim non denotat seriem, nec habet respectum ad Actorem, quasi eum antecedat: Sed contemplatione Rei id dicitur, quod prius ei non permittatur allegationibus suis uti, quam juratus est. Quemadmodum ad hoc objectum respondet gl. in d. l. 2. C. l. t. *in verb.* Et actor quidem; quam etiam sequitur Bart. *ibid. d. n. 18.*

Monet tamen Sichardus d. n. 8. tanquam consultius ad evitandam disceptationem, ne temere ordo legitimus, d. l. 2. C. præscriptus immutetur.

§. XXXIII. An vero quid dicendum de iis, qui in publico officio constituti sunt, Num quid immunes sunt a juramento hoc calumniæ speciali, ita ut jurijurando, quod in ingressu officii præstiterunt, committi & relinqu possint? Negarim, i. quia diversum est, juramentum calumniæ speciale ab illo, quod sub ingressum muneris quis præstat. Illud enim pro ratione & circumstantiis rei, de qua suspicio est, concipitur: hoc in genere ad muneris obeundi dexteritatem & fidelitatem contendit. Novo autem indigent auxilio, quæ de novo emergunt. l. de ætate. §. ex cause

causa. ff. inter act. Monic. in l. fin. n. 8. ff. de jur. delib. Riminald. in l. si emancipati n. 142. de collat. 2. Ita quidem est, ut quibusdam in locis Officialibus, die in Aemptern mit sondern Eidespflicht angenommen seyn, juramentum remittatur, testium sc. & in testimonio dicendo: Und werden allein bey ihren Amts: Pflichten errinnert und dabey gelassen; Sicut id Statutis Francofurtensibus & Noribergensibus congruum allegat Setser. tr. de juram. lib. 3. c. 9. n. 27. Verum, ut dictum est, in testimonio dicendo id locum habet: secus in juramento calumniæ. Ibi enim esset remissio juramenti per conventionem; quod autem omnino prohibitum est. Qui enim gratiam juramenti calumn. petit, animum calumniandi habere præsumitur. Reuber. tract. de test. part. 3. n. 59. Tum partium illud est remittere. Myns. cent. 9. obs. 31. Hoc autem spectat utilitatem publicam, i. e. non solum utilitatem partis adversæ, ne lites in infinitum pertrahantur: sed etiam commoditatem judicis, ne scilicet judex frustra defatigetur. Alex. in l. i. n. 18. ff. de Fer. gl. in c. suis 39. verb. remittitur. de testib. Gail. obs. iii. n. 4. Quæ autem utilitatem publicam concernunt, aut juris publici sunt, pactis privatorum tolli nequeunt. l. jus publicum. ff. de pa-  
ctis. Denique juramentum calumnia in qualibet judicii parte peti, reiterari, & præstari, potest ac debet. Bl. in l. i. circ. fin. vers. sed nunquid de jur. cal. c. i. juv. cal. in 6. Non ergo sufficit semel in initio officii jurasse, sed quoties postmodum necesse fuerit de calumnia jurare, jurabit.

§. XXXIV. Dictum est de his, qui de calumnia tenentur iurare. Nunc dicendum venit, qui non iurant, aut ut prohibeantur, aut eximantur.

§. XXXV. Prohibentur infantes, mente capti, fu-  
riosi,

riosi, muti, & surdi natura, quia vel intellectu carent, vel operatione intellectus destituuntur. Obrecht, *Cap. 5,* n. 11. de *jur. cal.* Item Impuberis, Prodigii, & minores 25. annis, quia per se non possunt litem instituere, nec actus iudiciales exercere. *Obrecht. d. n. 12.* At vero ut horum negotia alii agunt, ita & eorum nomine de calumpnia iurare tenentur.

**S. XXXVI.** Sic Pater de peculio adventitio, sicut agit, vel excipit; ita & de calumpnia iurare debet, quia non filius, sed pater huius peculii legitimus est administrator. *I. cum oportet. 6. fin. autem cum §§. seqq. C. de bon. quæ lib.* Filius familias & recte patris nomine agit & excipit: E. & recte iusiurandum de calumpnia ab eo expetitum præstat. *d. Obrecht c. 6. n. 4.* Eodem modo tutores & curatores pupillorum & adulorum nomine. *d. I. 2. §. quod observari C. b. 1.*

**S. XXXVII.** Haec tenus de Principalibus, & qui eorum vices agunt. Quando autem præprimis tres personæ a præstatione iuramenti calumpnia eiusve obligatione in iure descriptæ leguntur, utputa Principales, Advocati & indices, & primo loco de Principalibus dictum est; sequitur.

**Habib De Advocatis.** Olim constitutum erat, ut iudicem, quicunque esset ordinarius s. delegatus, s. arbiter, opor teret in initio litis, medio & fine SS. Evangelia habere proposita, ad quæ partes & Advocati necesse habebant iurare. Nec poterat Advocatus, antequam iuraret, provinciam Patroni suscipere. *Sichard. ad I. 2. cum Et judices C. b. 1.* Uti nec Reum, cui in actione intensa respondendum erat, instruere, quomodo responderet libello, quia, quousque nondum iuraverat, officium suum parti impertiri non potuit. Verum necessitas illa iurandi circa singulas

singulas causas in Advocatis potissimum Ordinariis & Numerariis secund. Brunnemann ad d. l. 2. hodie desit, & agitur cum iis hac in re, atque cum iudicibus, qui non nisi initio ingressi muneris iurant. *Nov. jusjur. quod præstatur §. Aequus.*

Ita & illi, cum agendis causis præesse cupiunt, semel iurant. Et sit hodie de consuetudine iudiciorum celebrium, ut iuriandum istud circa omnes actiones repetitum videatur. Sichard. ad d. l. n. 6. Quamvis etiamnum fieri possit, si sub initium non iuraverit, ut in iudicio, ubi causa agitur, compellatur ad præstandum iuramentum in singulis causis; sicut iudicatum & approbatum laudat Brunnem. comm. ad d. l.

Id quod ut usu abrogatum ex antiquitate reducetur, multis in votis est. *Authoris Barth. litig. lib. 2. c. 6. n. 12.* Haec sunt verba. Abroganda igitur est consuetudo hoc præsertim malitioso seculo, quo Advocatis iuramentum calumniae remittitur, & ius civile in forum reducendum, atque constituendum, ut non solum colligantes; sed & Advocati & Procuratores unusquisque in propriam, non alterius, animam iuret ieuno stomacho, maiore solennitate, quam hucusque magno reip. detimento, & pluribus periuriis factum est. *Quemadmodum & nuper Recessu Imperii de ao. 54. §. Über das Verdammnen wir ic. statutum est,* ut Advocati & Procuratores, exceptis tantum Statuum Consiliariis, in causis suis iurent: Verum quid iudicii ferat hac de re Obrecht. ex verbis ipsius huc transcribo: si perpendimus, inquit, quam multi boni Viri a foro hac tantum de causa abstineant, quod tot Sacramenti religionibus implicari nolint: certe consultius & Reip. utilius videtur, ut Advocatis calumniae iuramentum remittatur, & ut semel tantum ab iis sacramentum

E

ex ga-

exigatur, quia hoc modo religiosiores ab Advocationibus non absterrentur, sed iis potius crebrius operam suam impendunt, & quia bonis viris semel praestitum jusjurandum semper adversatur animo: at improbis etiam saepius petitum nunquam accurrit.

§. XXXVIII. Sed jurant Patroni omni virtute sua omnique ope, se Clientibus suis adfuturos, & si deprehenderint causam iniquam, eam protinus deserturos, & a causa recessuros. l. 14. §. 1. C. de judic. Formula juris-jurandi, quod praestant Advocati & Procuratores in Camera Imperii, quando in matriculam recipiuntur, videri potest Ordin. ejusd. part. 1. rit. 64. & 65.

§. XXXIX. Dictum est paulo ante, in Camera Imp. usurpari, ut jurent Advocati & procuratores. Qu. igitur: *Utrum Advocatus sive Procurator ex officio parti datur a judice, si renuat exigente adversario de calumnia jurare, a judice compelli posset, ut praestet.* Distinguendum hic venit id, de quo juretur, & quidem inter merita sive justitiam causæ & requisita processus. Quoad illa Advocatus sive Procurator ex officio datus neutiquam cogendus est praestare juramentum istud calumniæ, ne jussus judicis sit ei offensioni vel fraudi. Quoad hæc teneatur. Eorum enim contemplatione v. g. quod causam nolit malitiose extrahere, recte jurare cogitur, quippe quæ nondum officium & ministerium procuratoris concernunt. Calumniatur enim non solum, qui injustam tuetur causam, sed & qui eam improbe sufflaminat, vid. Gail. 1. obs. 88. Qui eiusmodi ex officio constitutis Advocatis, ubi adversarium iusiurandum depositare continet, tradit cautelam, ut a iudice remitti sibi iuramentum illud calumniæ exactum petant, quoad merita causæ: In iis autem, quæ munus suum attineant, ne iusiurandum

randum detrectent; Et fore ait, ut iudex petito isti locum præbeat.

§. XL. Denique iurant & iudices. Antiquitus iudices ad causas accessuri iurare iubebantur, se cum omni virtute & legum observantia iudicaturos. Id quod cum in desuetudinem abiisset, per l. 14. C. de iudic. in usum revocatum fuit, ita ut iudices, quicunque essent, iurare oportuerit, se iudicaturos; prout sibi iustius ac æquius videretur, & SS. Evangelia in iudiciis subinde ob oculos posita habituros. Hoc iterum correctum est per Nov. ius iurandum, quod præstatur §. Æquis: & quidem iudicem semel, nec nisi sub ingressum muneris, teneri ius iurandum subire, propterea quod unicum istud iuramentum iudicis. Deinde ad quasvis causas vim suam videatur proferre, per Auth. Hoc Sacramentum C. b. t. Id quod nec hodie desit. Habentur enim passim iuramenta iudicium & Adsefforum in Ordin. Judiciorum. Sic extat Ordin. Cam. part. 1. tit. 57. forma iuramenti tam ipsi iudici Cameræ, quam singulis assessoribus præscripta, hoc tenere: se secundum Imperii constitutiones iudicare vel le, vid. & Gail. lib. 1. obs. 36. n. 14.

Quibus in causis de calunnia jurari debet, nec ne.

§. XLI. Cognito, qui de calunnia tenentur jura re, porro dispiciendum est, quibus in causis id præstari oporteat. Et præstari debet in omnibus causis, in quibus suspicio calunniae sub sit, magni sint aut parvi momenti, appellationis, ordinariæ, compromissariæ, vel delegatae. l. rem. non novam. 14. §. patroni. 1. C. de judic. l. cum §. judices. §. sed quia veremur. 4. vers. licet ex comprom. C. b. tit. Ayr. in proc. bift. part. 1. c. 11. obs. 2. n. 19. Menoch. lib. 2. arbitr. jud. qu. 20. per tot. Wesenb. in com. C. eod. n. 7.

§. XLII. Qu. An & in criminalibus? Neg. Quia in hac causa non de opinione (sicut in juramento calumniæ l. 2. post. pr. C. b. t.) sed de veritate juratur, scilicet, totum illud, quod in accusatione positum est, verum esse l. Marcellus u. A. de act. rer. amot. l. inter omnes. 46. §. recte ff. de furt. & l. singuli. 14. C. de accus. & inscript. Et quia in hac causa sufficit inscriptio. l. ult. C. i. tit. de accus. & not. Cujac. nov. 49. in fin. Quippe quæ est loco juramenti calumniæ. d. l. ult.

Berlichius producit Catervas Autorum dissensum in re, tam affirmantium, quam Negantium; ipseque stat ab affirmativa, quod locum habeat juramentum cal. in criminalibus. Nec male, sed de Actore accipiatur. Etenim secund. Mauser. in proc. jur. de juram. cal. s. in primo itaque. Accusator hodie iurare cogitur in causa criminali, idque statim tempore institutæ accusationis, omnia nimurum esse vera, quæ in libello accusationis proposuit. Hocve juramentum a solo Actore præstari, ait Obrecht. c. 8. n. 23. dict. tr. De Reo autem plane improbat, qui, si de fortunis & capite ageretur, juramenti religionem sibi minimæ curæ habiturus foret. Brunneman. ad l. C. b. t. id ita conciliat, ut Rei capitalium criminum non possunt compelli ad juramentum calumniæ; secus in non capitalibus, & actoribus sive accusatoribus, quos jurare oportet de calumnia.

§. XLIII. Nec in notoriis locum habet, not. ex Bald. Gilmannus rer. judic. lib. 2. decis. u. n. 20. Nec spiritualibus: Nec matrimonialibus. vid. Berlich. part. i. concl. 31. n. 29. & seq.

§. XLIV. Præter hæc tamen specialis casus est, in quo obtinet juramentum cal. Et quidem incidit in contractum empti venditi. Quod sit, quando emptor id egit,

egit, ut pretium rei venditæ, quando ejus nondum copia est, aliquantis per retenturus, aut spatium solvendi extracturus, quendam subornet, qui sibi litem moveat. Vincent. Caroc. tract. de sequestr. part. 2. qu. 10. incip. quidam erat. n. 4. & 5. Isti igitur malitiæ ut consulatur, communiter receptum est, ut ab utroque tam emptore, quam novo litigatore, juramentum exigi possit, quod non malitiose litem moverint, vel instituerint. Br. in 1. si post perfectam. 24. C. de evict. Menoch. lib. 2. arbitr. jud. cent. 3. cas. 224. n. 5. & seqq. Pet. Heig. qu. 36. incip. Venditorem emptori n. 14. ibi: eum per calumniam & 15. part. 1. Ita tamen, ut vendor, si forte per iurum emptoris vel novi litigatoris vereatur, ad id deferendum præcise non adstringatur: sed dolum, fraudem, & malitiam emptoris, & novi litigatoris probabilibus saltē conjecturis probare possit. Menoch. d. n. 2. ibi, quartus tamen est. n. 7. & seq. Heig. d. n. 16. 17. 18.

### De Forma

#### *De Calumnia jurandi.*

§. XLV. Ea continetur his verbis; ut tactis SS. Scripturis sive Evangelii Actor, iuret, se non calumniandi animo litem movisse, sed existimando, bonam se causam habere: Reus autem iuret, quod non calumniæ causa, sed putans se bona instantia utri, ad reluctandum venerit. Utique vero iuret, se differendi negotii causa probationes ab adversario minime petiturum. Sunt verba I. 2. c. b. t. & Nov. 49. c. ult.

§. XLVI. Hoc textu describitur, & ritus, & forma jurandi. Ritus consistit in eo, ut tactis SS. Scripturis vel SS. Evangelii propositis de calumnia juretur d. 1. 2. pr. G. b. t. Quod alibi corporali dicitur jurisjurandi

*præstatio. l. 3. C. si minor se major. dicitur ab eo, quod aetus aliquis corporalis interveniat, ut tactio Scripturæ, vel sublatio manus.*

§. XLVII. Hodie etiamnum in quibusdam Germaniæ judiciis adhuc tacta sacra scriptura juratur, in plerisque autem locis, sublata dextera manu, & porrectis duobus digitis, indice nimirum & medio, hoc juramentum præstatur. Semper vero jurans expressis verbis declarare debet, se formam sibi prælectam sancte observaturum. Hæc Obrecht. cap. 10. n. 18. Ubi, ad id, quod de erectis digitis dictum est, notandum, quod habet Magn. Dn. Richt. expos. ad autb. quod scilicet mulieres non erectis duobus digitis, ut ut mares, sed apposita ad sinistrum pectus textra, jurare soleant? Sic maxime in terris inferioris Saxonie utimur.

§. XLVIII. Forma jurandi has partes continet: & juret actor 1. se non calumniandi animo litem movisse: sed existimando, se bonam causam habere. Reus autem, quod non calumniæ causa, sed purans se bona instantia uti, ut reluctandum venerit d. l. 2. post. pr. C. b. r. 2. uterque, se differendi negotii causa probationes ab adversario minime petiturum. His adduntur tres alii. 1. quod interrogati nolint verum diffiteri. gl. in c. t. de juram. cal. in. 6. Specul. tit. de jur. cal. §. nunc dicamus in princ. 2. Quod differendæ litis causa dilationem nolint petere. l. i. C. b. t. 3. Quod nihil penitus patrocinii causa datum promissumve sit, nihil quoque datum, promissumveiri, vel per se, vel per mediati personam. Nov. 124. c. 1.

§. XLIX. Formula juramenti calumniæ, cuius hodie his in terris frequens usus est, universas jam enumeratas partes continet, quæ ita habet; *Ihr werdet schwe-  
ren*

ren einen Eyd zu Gott, 1. daß ihr glaubet eine gute Sach zu haben, 2. daß ihr keinen unnothigen gefährlichen Schub der Sachen begehret, 3. und so offi ihr in Rechten gefraget werdet, die Wahrheit nicht verhalten, 4. daß ihr auch in dieser Sachen euch keiner falschen Zeugniß noch Beweisung gebrauchen wollet, 5. und daß ihr niemand anders, denn denjenigen, so das Recht zuläßt, dieser Sachen haben etwas gegeben oder verheissen habt, auch forthin nichts geben oder verheissen wollet, damit ihr die Urtheil erhalten möget: Alles getreulich und ohne Gefährde.

Respondet hæc formula per omnia isti, quæ adlibetur in iudicio Cameræ, præter hæc verba: daß ihr euch in dieser Sachen keiner falschen Zeugniß, noch Beweisung gebrauchen wollet; quæ hic exsuperant. Ordin. Cam. part. 4. c. 6.

§. L. Iuramentum hoc cal. quando ita a forma sua specifica, aliisque circumstantiis descriptum fuit.

*Qu. Quando, & quoties, id exigendum & præstandum sit?*

Antiquo jure in singulis judicii partibus, fuerit ab initio, medio, sive fine ejus, pro qualitate & natura rerum, & negotiorum varie occurrentium, quoties nimis suspicio fraudis, vel calumnia subesse contigerit; peti ac præstari potuit; quemadmodum supra, ubi in divisione de speciali iuramento actum est, adductis legibus exposui. Id autem postmodum Novellis Justiniani constitutionibus partim, sicut habet Speckhan cent. 2. d. 4. qu. 20. §. 2. abrogatum est, partim etiamnum usu frequentatur.

§. LI. Et abrogatum est lite contestata, ita quidem, ut successerit iuramentum calumnia generale, post litem contesta-

contestatam, & sic ad totam causam singulosque iudicij actus supervenientes semel praestandum, ne scilicet saepius super eadem jurare necesse sit, & ut iuramentorum & periorum materia potius restringatur, quam amplietur. per l. 2. in pr. C. de jurejur. propter cal. dan. Nov. 49. c. 3. & inde desumptam autent. Hoc Sacramentum. Cui & ius Pontificium c. 1. in pr. in verb. in primo litis exordio non iuretur ut debet, de iuram. cal. in 6. respondet. Quo factum est, ut, quod antea promiscue licuit, iuramentum nimirum ante & post iudicium acceptum exigere; id tantum, ut initio litis petatur, integrum relictum fuerit. Semel autem tantum ex constit. Nov. 49. c. ult. praestatur hoc iuramentem calumn. generale in initio litis, nec amplius repeti potest, quippe quod ne plures repetatur, inibi specialiter prohibitum est. Verum sicut ista prohibito ad generale duntaxat pertinet iuramentum: ita in diversum ab hoc abit Jus canonicum. Hoc enim, praestito quamvis super tota causa generali calumniæ iuramento, ubi malignitatis suspicio subesse certatur, etiam speciale illud (quod alias malitiæ appellatur) exigi, & potest, & debet c. 2. §. fin. iunct. gl. fin. eod. in 6. Idque passim iudiciorum usum observare perhibet Speckh. d. can. claf. & quæst. Andr. Rauchb. facit hoc ceu iuri & æquo consentaneum, postquam hoc per modum quæstionis proposuit, satis planum. part. i. qu. ii. Responsum enim Academicum, quod super hac re quondam petitum fuit, cum suis solidis & immotis rationibus laudat, quorum beneficio firmat affirmativam, & post interpolatum generale calumniæ iuramentum omnino locum esse exactioni huius iuramenti. Imo salubriter confutit, atque praestare ait Dn. Brunnemannus comment. suo ad l. 2. C. b. r. si quando ante litem contestatam apparere,

reat, Reum diverticula pro more quærere, ut initio litis motæ, antequam Reus respondeat, vel excipiat, hoc juramentum deferatur, cum in ipsis dilatoriis, & in ipsa litis contestatione sæpe Rei calumnientur.

§. LII. Lite vero nondum contestata, nec juramento calumniæ generali præstito; etiamnum hodie in singulis actibus, quandocunque malignitatis suspicio subest, hoc calumniæ juramentum speciale recte exigi ac præstari potest. Maxime in casibus quibusdam specialibus, quemadmodum supra jam dictum est, ut in juramenti delatione, instrumentorum editione, literarum comparatione, & ut instrumentum semel probatum falsi argere liceat, Hug. Donell. lib. 24. comm. in tit. de iure iur. c. 13. num. 5. Nam licet speciale iuramentum calum. de iure communi hodie regulariter non exigatur; nihilominus tamen post novam illam Justiniani constitutionem, in casibus enumeratis exactum, præstari debet. Carpz. iuris prud. Forens. part. 1. conf. 12. def. 20. n. 5. Tum dicti actus sic comparati sunt, ut iis citra speciale malitiajuramentum ex sententia Carpz. d. def. 27. locus haud sit tribuendus. Sed dummodo, quæ de juramento hoc speciali quovis tempore exigendo dicta sunt, tempestive fiant. Etenim ante sententiam petatur & præstetur necesse est. Specul. in tit. de jur. calum. §. 2. n. 4. v. hoc tamen ff. de damn. infest. Item ante conclusionem causæ. Addent. ad Matthesl. singul. 65. versic. Et adde quod. Paria enim sunt conclusum esse in causa, & sententiam latam esse. Gail. in tr. de pace publ. c. 20. n. 26. Quæ initio §. hujus dicuntur, quod suborta suspicione, etiamnum hodie in singulis actibus juramentum recte exigatur & præstetur,

F

in

in foro Saxonico probant nostrates Jcti potissimum usurpari, ita, ut in judicis arbitrio sit, & quotiescumque in processu necessarium existimaverit, partibus litigantibus id imponere, adeoque tam ante, quam post litem contestatam recte exigi. *Carpz. dec. 56. n. 3. Struv. Exerc. 17. sb. 71.* Atque ita *l. i. C. de jurejur. propter cal. dam.* atque alia jura Pandectarum de speciali juramento calumniae loquentia, novissimo partim correcta sunt, partim vero correcta non sunt, sed usu hodie etiamnum frequentantur, & in viridi observantia manent. Hæc secundum *Mauserum* saepè dictus Spekban. Cujus verba, cum rem hanc impeditam salubriter expediant, hoc §. referre non piguit, siquidem hæc in praxi diligenter notanda monet.

## DE FINE.

§. LIII. Absolutis reliquis causis, & recte ultimo loco dicitur de fine. Hic autem paucis expeditur; Et est 1. Ut rei veritas, quæ alias erui innotescat. *d. l. i. C. b. t.* & gl. ad b. l. Sic & Pontifex c. cæterum X. de Juv. cal. jubet hoc cal. juramentum præstare ad elicendam veritatem. 2. Ut litigantium petulantia reprimatur, neque tam prompte atque alacri gressu ad lites prosiliant. *Conf. Nov. Leon. 99.* seu ut haber *text.* in l. i. & ibi gl. in v. compescitur, ut timore hujus juramenti litium ambages litigantiumve contentioſa instantia & calumnia compescatur. Si enim actor de justitia causæ dubitat, hoc juramento facile deterrei potest. Magn. Dn. Richt. *Ad Auth. hoc Sacramentum C. b. t. n. 23.* & ultimo ipse testatur Imper. juramentum hocce non pro commodo privatorum,

rum, sed pro communi utilitate esse introductum, ut non solum lites, sed & calumniatores minuantur, & pro judiciis putent homines se in sacrariis sisti ad judicem Deum l. 2. ss. sed quia veremur cum §. seg. C. b. t. Hacve ejus egregie utilitate morum ea, quæ suo tempore in usu esse desierant, revocare & renovare necessarium duxis-  
se. l. 14. C. de judic.

§. LIV. Non abs re erit, hac de utilitate, imo ne-  
cessitate, plura dicere.

Qu. igitur. An & quando juramentum calumniae sit  
pars vel actus judicij substantialis aut accidentalis, ita, ut  
salvo processu omitti & remitti possit, aut non possit?

Vis hujus juramenti est relativa, ita ut necessitas  
eius pendeat ab eo, si alterutra pars detulerit aut exige-  
rit. gl. ad l. 2. C. b. t. in voc. sancimus Spec. in tit. de jur.  
cal. §. 2. vers. Dicit. Phil. Menoch. de arbitr. judic. lib. 1.  
q. 20. n. 5. Unde distinguendum venit, & contingit,  
ut juramentum hocce aliquando sit de substantia judicij,  
nec citra virtum ejus, atque nullitatem omitti & remitti  
queat: aliquando non sit substantiale, & innoxie præ-  
teriri possit. Et est de substantia, ubi ab alterutra parte  
exactum fuerit, adeo, ut, qui exigit, id postmodum re-  
mittere nequeat. Pacto siquidem privatorum jus publi-  
cum immutari nequit. l. testamenti factio. & ibi gl. 1. ff. de  
testam. cap. si diligencii junct. gl. ibid. in verbis privatorum  
de for. compet. Gail. obs. 40. num 5. Imo nec ipse judex  
stante tali consensu partium, juramentum illud remitte-  
re potest, cum sit pars judicij substantialis, nec hunc or-

dinem judicarium immutare valeat. Socin. c. cæterum.  
*n. ii. de juramento calum.* Quin potius si partes de ca-  
lumnijs jurare renitantur, ut invitox compellat ad præ-  
standum; quippe qui renuentes jurare de calumnia præ-  
sumuntur calumniari. *Anit. de Re. c. 12. n. 13.* Et si fiat,  
ut remittatur, aut per injuriā & negligentiam omitta-  
tur, acta omnia concidunt, & ad nihilum rediguntur.  
*I. 2. §. sed quia veremur. & gl. ad eam C. b. 2. Bart. ibid.*  
*n. 3. Canonistæ in c. i. extr. eod. Vant. in tr. de nullit. in*  
*ruber. de null. sen. ex def. prac. n. 29. Gail. obs. 84. n. 1. &*  
*88. Imo nec consuetudine, vel statuto remitti potest,*  

dubio cum ratione pugnantem, necesse habeat probare;  
quemadmodum *Gail. obs. 85. ubi* hoc per modum qua-  
stionis egit, amplius tractat.

*S. L V.* Substantiale dixi, esse judicio, quod exigi  
oporteat. Etenim hanc habet conditionem annexam,  
quatenus a parte petatur, adeo ut rō exigere ei formam  
& essentiam præbeat, & nisi expetatur, remissum intel-  
ligatur; Æque ac si contra nulla pars petat jurari, &  
utraque juret; quo casu juramentum istud haud dicetur  
pars substancialis, quippe quod non pretium fuit. *Ant.*  
*del. Re c. 10. n. 46.* Unde evenire potest, ut unus juret,  
alter non, eo quod juramentum remissum credatur,  
quando non fuit exactum. Exemplo est: Titius postu-  
lat a suo adversario, ut juret de calumnia. Sejus iurat;  
sed non reposit Titium similiter iurare de calumnia;  
Hoc casu a parte Sejū tacite dicetur iuramentum  
omissum.

Ve-

Verum ut disertius dicam de remissione hujus juramenti; Constat hanc fieri bisariam. Tacite aut expresse.

Tacite, quando utraque pars id omittit, nec exigit: Marian. Socin. in c. cæterum n. 12. de jur. cal. Alex. in l. de pupillo §. qui opus n. 2. de nov. oper. nunc. Nam quando una pars omitteret, alia vero instaret præstari, non diceretur omisso, sed deberet præstari, alias futurum, ut renuens incidat in pœnam recusantis jurare. Ant. del Re. c. 12. n. 4. Si vero, ut paulo ante exemplum dictum est, altera pars tantum petat, altera vero non, pro parte non potentis tacite remissum recte censemur, del. Re. d. l. Expressæ per pactum scil. & conventionem. Hoc minime licet d. l. 2. §. sed quia veremur c. l. de juram. cal. in 6. Iuramentum enim hocce calumniæ non solum concernit utilitatem partis, sed & publicam, Bald. in §. sed quia veremur. & Gail. obs. 101. n. 4. Tum quoque judicis respicit commoditatem, ne is frustra defatigetur, & in infinitum lites multiplicentur. Sic & talis expressa remissio contineret turpe pactum, quod calumniis aperiret viam, & sic per consequens turpitudinem contineret, quod reprobatum per l. si unus. §. illud. & §. pacta ff. de pactis. improbandum. Socin. in c. cæterum n. u. de Jur. cal. qui has rationes collegit. Quibus & hac minima additur, quod expressa remissione lis suspicata est contra litigantes, si expresse fiat; quod non fecit, si tacite. d. l. 2. §. sed quia veremur. Quapropter si utraque pars ad invicem expresse remitteret hoc juramentum: non obstante tali remissione poterit judex utramque partem cogere, ut juret de calumniis. Soc. de c. cæterum. n. 10.

§. LVI. Hæc quæ hactenus de necessitate pre-  
stanti juramentum dicta sunt, adeo vera sunt, ut sine  
eo processus & sententia & omnia inde secura nulla sint.  
d. l. 2. s. sed quia veremur C. Murant. in suo speculo part.  
6. in secund. jud. part. tit. de juram. Gail. obs. 84. n. 1. Di-  
ctus Gail. hoc tradit in Camera non procedere; ibi e-  
nīm æquitate causæ principalis ejusque meritis perspectis,  
pronunciarū nullitate hac, sicut aliis, superhabita: at ubi  
in Camera petitum fuerit hoc juramentum, æque esse de  
substantia prestari, adeo, ut, si eo exacto, nec prestito,  
a partibus hinc inde conclusum fuerit, ex officio facta  
conclusio rescindatur, & parti ut petitum prestet jura-  
mentum, sub poena legali injungatur. Verum numquid  
hoc separatum quid est a regula? mereturne hoc tradi-  
tum Gailii, ut dicatur a communi regula exceptum?  
Dubitari. En ipsa verba substantialia: In Camera pe-  
titum hoc juramentum sine vitio processus omitti non  
potest. Quid hoc secius, quam quod primum dictum  
est? Id quod dicitur, ubi in prima instantia petitum,  
nec prestitum fuerit, illud in secunda Cameræ non at-  
tendi, sed inspectis causæ meritis de causa cognosci,  
commune est reliquis, nullatum processibus, idque i-  
psum est, quod refert Mysing. cent. 4. obs. 62. Inferio-  
ris Germaniæ usu receptum esse, ut perspectis causæ me-  
ritis, processus nullitat<sup>is</sup> contemplatione non annulentur;  
sed ad definitionem causarum procedatur, idque ipsum  
in Camera observari cent. 1. obs. 29. Nec ullam cognata-  
m habet rationem processus primæ instantiæ cum se-  
cundæ ratione hujus juramenti, ut dicendum fore;  
Non attenditur in Camera vitium omissi juramenti, in  
prima instantia contractum, E. nec in Camera petitum

vi-

viciat. Nam alia ratio est judicij appellatorij, alia pri-  
mi. Illud enim sanat defectum & reparat, quod in hoc  
vitio factum fuerat. Tum processus primæ instantiæ  
non afficit processum secundæ; quemadmodum habet  
*Ant. del. Re.* ubi dicit, non ex hoc, quod petitum sit in  
alio judicio, curari de calunnia, nec factum sit, dicetur  
secundi judicij processus & sententia nulla. Separatum  
igitur hac in re nihil habet Camera, sed idem cum reli-  
quis habet commune, ita ut, quod de necessitate jura-  
menti dictum est, negari non possit, & Cameræ cum a-  
liis judiciis indifferenter usurpari.

**Q. LVII.** Sed postquam dictum est, ex omissione  
sententiam esse nullam;

**Qu.** An sententia contra eum, qui rogatus est turare  
de calunnia, nec juravit, lata sit nulla? **e. g.** Titius mo-  
vit Sejo litem: Sejus in actis petit de calunnia jurari.  
Titius non jurat, devenitur ad sententiam causæ, quæ  
fertur pro Sejo. Titius dicit eam nullam, quod peti-  
tum a se juramentum non præstítit. **Qu.** an dicenda sit  
sententia nulla? Neg. Culpa enim Titii contractum est  
vitium, & factum, ut non juratum sit. Cui igitur ut  
sua, non alii noceat, fas est, *i. non est ignotum.* **C.** de ad-  
ministr. **tut.** Contra, cum Sejus extra culpam sit, nec ei  
alterius culpa sit damnosa. **gl.** in *l.* meminerint, in verb.  
non afferat. **C.** Unde vi. *c.* non debet aliquis de *R.* **J.** in *6.*  
Et actus nullus ex defectu solennitatis omissæ per adver-  
sarium, potest a Sejo, in cuius favorem factus est, acce-  
ptari vel repudiari. **Pinell.** in *l.* *1.* *n.* *20.* *part.* *1.* **C.** de bon.  
mater. **Cephal.** *caus.* *469.* *n.* *26.* *lib.* *4.* Favori enim suo  
quili-

quilibet potest renunciare. gl. in l. Sabinus in verb. sequi primam. ff. de in diem adiecit. Denique actus nulli habentur pro inutilibus, & non factis, quatenus concernunt præjudicium tertii, non autem quatenus concernunt præjudicium gerentis, cuius culpa aut dolo actus est nulliter factus. Vant. de nullit. tit. quoties & infra quod. n. 53.

§. L V I I I . Hactenus de necessitate præstandi juramentum calumniæ. Verum & declinari illud potest. Quod fit, quando actor in continenti offert probationes, quippe quæ fraudis & calumniæ suspicionem diluunt. Dummodo certum sit, haud per calumniam sive malitiam probationes istas in continenti offerri, quod alias sæpius fit, ut sola iniuriæ causa ad iusiurandum concurratur. Nov. 49. c. 3. secus iudex eas reiicit. Etenim binæ forent suspiciones, una generalis, quam lex ita constituens coniicit contra hos, altera specialis in persona illius, potensis se admitti ad probandum in continenti. Menoch. lib. 2. præsumpt. 47.

§. L I X . Verum ad ea, quæ de actione partium hactenus dicta sunt, non inconcinnum erit querere? Num & eandem necessitatem inferat, quando iudex iuramentum exigit, seu, numquid iudex ad instantiam partis, vel ex officio iuramentum hoc calumniæ imponere & exigere possit ac debeat? Habenda est hic ratio divisionis iuramenti, qua est vel generale, vel speciale. Generale quod attinet, iure civili iudicis est omnino id exigere, partibus & dissimilantibus. per l. 2. §. sed quia veremur. 4. C. b. 2. Qui textus non de expressa remissione loquitur, ut alias interpre-

terpretes sentiunt, sed de tacita; ita enim ipse text. in verb. collusione aliqua utentes, & in verb. dissimulatione nostram sanctionem satis arguit, monuit quoque Bart. in l. 4. & petiūm n. 4. & 5. ff. de damn. infect. & post. eum Wesenb. in supplem. ad Schneid. §. 1. n. 5. Instir. de p̄m. tem. litig. Iure Canocico autem non nisi ad instantiam & petitionem partis adversæ. c. 1. eod. in 6. Factum 1. illud judicis, factum reputatur partis. 1. si. ob causam C. de evict. Quo iure quod dispositum est, cum usu servari notet. Maranta part. 6. b. 1. n. 3. Et secundum hoc de substantia ejus judicium faciendum erit. Verum constitutio imperii secus habet. Etenim Recessu de anno 1645. §. 43. cautum est, ut necesse habeant de calumnia jura re, idque partibus aut exigentibus, & judice cognoscente, aut in quacunque judicii parte ex officio illo injangente; ubi cum & hoc necessitatis factum sit, & merito de substantia esse creditur. Speciale nullo jure exigitur, nisi experiente parte. 1. de pupillo cui opus ff. de oper. nov. nunc. 1. jusjurandum 34. §. 3. ff. de jurejur. Et concludo: dictum hactenus juramentum calumniæ tam a parte, quam judice, si parti & iudici visum fuerit, expedire, exigi posse ac præstari debere, Soc. in cap. in pertractandis n. 52. de juramento calumniæ.

### De vi & effectu juramenti calumniæ.

§. LX. Dictis causis, recte dicitur Effectus. Horum aliquot, sicut enumerant Dd. referto. Et quidem si præstitum, aut recusatum fuerit. Si præstitum; primus est, ut partem alteram oporteat positionibus responderet: sin nolit, pro confessio habeatur. Ant. del. Re. d.

G

tr. c.

*tr. c. 22. n. 12.* Secundus, quod liberat a præsumpta calumnia. Maranta in spec. tit. de iuram. cal. 1. n. 12. Soc. in c. cum in caus. n. 29. vers. 4. effectus. Sic enim actor litem bona fide suscepisse; Reus restituisse videtur. *Obrecht. b. tr. cap. 12. n. 3.* Nec licet de veritate iuramenti præstigi questionem movere, quia per iurum solum Deum habet ultorem. *p. l. 2. C. de reb. cred.* A præsuma, inquam, calumnia; etenim est iuramentum calumniæ si-  
cut dictum est supra, tantum credulitatis, & opinionis, non scientiæ; secus ac iuramentum probatorium, quod est scientiæ, & requirit in teste scientiam; Igitur fieri potest, ut iurans errore ducatur, nec propterea, quando succumbit, protinus fiat reus per iurii, ut & sentit *Obrecht. d. n. 4.* Et refert, aperte constet commissa de calumnia, nec ne. Illo enim causa omni iure dabit poenam; hoc divinæ recte committitur ultiōni, idque ex sententia Imperatoris, cui ita locum esse, existimat *Obrecht. d. n. 6.*

§. LXI. Poena per iurii varia est. Iure civili quondam erat fustigatio *l. 13. ff. 6. ff. de iure iuri.* Cæde-  
batur enim calumniator dicente poenæ Reo: Calumnia-  
tus es. *l. 16. c. ex quibus caus. infam. irrog.* Isque erat  
famosus. Postmodum *ex quadam Nov. Leon. & Constant.* ut periuro lingua abscondetur, constitutum est. *vid. Cu-  
iac. 7. obs. 24.* Iure Pontificio per iurus ordine movetur.  
*c. cum non ab homine. 10. & ibid. Dd. de iudic. & not. Pa-  
normit. in C. tua 11. de iure iuri.* Quandoque & beneficio Ecclesiastico, si quod habet, exiuit. *c. querelam. 10. ubi  
gl. & Dd. de iure iuri.* Hodie vero inquit *Obrecht. d. n. 10.* periuros raro puniri: rarius corporali poena, at inter-  
dum

dum pecunaria pœna. Interdum tamen periuris binos digitos præscindi. Id quod, sicut moribus Germanorum introductum, ita sanctione Carolina vim legis accepit, hoc modo, ut priores digiti, quibus iuratum est, ad cippum alligati amputentur; de quo videre est. art. 107. & 99. propterea usitatum est, ut iuraturi de periurio admoneantur, quo post de eo convicti tanto magis pœnæ obligentur. *Wesemb.* n. 11. C. b. 2. *Quemadmodum & volunt Dd.* si fiat, ut de mendacio jurans convincatur, in eum criminaliter inquire & puniri posse. *Marant.* in d. rubr. de iuramento aet. 9. n. 23. *Menoch.* de arbitr. iud. lib. 2. cent. 4. cas. 319. n. 10. & 11. Ita tamen, ne judices sint admodum proclives ad recipiendum querelas, & inquirendum de similibus perjuriis & calumniis: sed videant, num partis querelam, & alia comitentur indicia urgentia ad inquirendum: quia sæpe litigantes, ubi vident eorum causam civiliter periclitari, recurrent ad lenocinium criminaliter, ut hoc modo terreat adversarios, & sic per indirectum obtineant, quod directe habere nequeunt; ut monet. *Del. Re.* d. c. 23. n. 14. Tertius effectus est, ut de calumnia juratus excusat ab expensis. *Sociaus d. c. cum in causa n. 29.* Quod tamen non probatur *Obreche d. n. 13.* quippe merito ait fieri, ut qui temere causam egisse convincitur, expensas refundat. *per l. eum quem 79. ff. de indic.* Secutus autoritatem Saliceti, qui totum mundum ita tenere dixit.

§. LXII. Si recusatum fuerit de calumnia iurare, recusat, aut Actor, aut Reus. Actor si renuat, instituta actione, ceu improbus litigator, cadit, & a iudicio

quam longissime repellitur, nec permittitur ei in lite progreedi. *I. 2. §. quod si Actor. C. b. l.* Reus si detrectet, pro confessio habetur in iis, quæ in narratione continentur, & judici, pro eo, ac ipsi pro rei qualitate visum fuerit, licet ferre sententiam. *d. l. 2. §. fin autem reus.* Quæ & procedunt in iuramento malitia. Habendus namque est recusans respectu illius articuli, super quo pars petit iurare de malitia, pro confessio ; nec admitti debent articuli actoris, vel exceptiones Rei, nec a iudice, quamvis relevantes, attendi, si nolit per sententiam de malitia iurare iussus, iurare. Referente hanc sententiam *Gail. obs. 87. n. 2.*

**§. LXIII.** Sed ubi noxia est hæc contumacia partium, numquid & nocet ista procuratorum Domino, si nolit & in suam animam jurare? Bivia est Dd. circa hanc questionem sententia; Affirmativa & negativa scilicet est, quod quoad procuratorem, cuius causa nulla non jurantis poena in specie expresa & definita est. Verum posteriores Jurisconsulti secuti Gailium, priorem sententiam juris rigor, posteriorem æquitati magis congruam asserunt. *i. obs. 89. n. 23.* eo quod *d. n. 4.* affirmat, contumaciam Procuratoris nolentis jurare in propriam animam, in camera olim mulcta tantum pecuniaria fuisse punitam.

**§. LXIV.** Verum hæc pœna cum & in Actorem & Reum dictæ sint, in questionem venit, num ipso jure committantur, an vero requiratur sententia declaratoria? negatur primum, affirmatur alterum. Nam præterquam quod binis rationibus hoc enodat *Gail. lib. i. obs. 86. n.*

86. n. 1. in auth. Principales §. si quis autem est expresse habet, sententia opus esse, quæ ad actorem est absolutoria: ad Reum condemnatoria d. auth. princ. Et c. fin. X. eodem. Hic enim pro confessio habetur l. 2. §. quod. si actus C. b. t. Usum hujus in Camera docet Gail. d. n. 1. quod scil. sententia eventuali, qua pars iussa est intra certum tempus sub poena non jurantis de calunia jurare, purificata, ad definitivam declaratoriam procedatur, & si actor contumax fuerit, Reus absolvitur: si Reus, iste Actori, ex quo libello petiit, condemnatur, quia confessus videtur.

§. L X V. Occasione propositæ quæstionis porro quæritur: Annon purificata eventuali sententia, si pars moram purgare voluerit, audienda sit? Affirm. Etenim ad declaratoriam usque mora potest purgari. Tum contumacia isthac in non jurando facta tantum est, non vera, per text. in l. alia C. de his quibus ut indig. conf. Gail. d. obs. num. 2.

§. L X VI. Sed quod dictum est de poena non jurantis, si fiat ut committatur, Nunquid ea transit ad hæredes? Dicendum quod non, ratio, suggestente Gailio d. obs. hæc est, quod nunquam transit poena ad hæredes, ubi ex dispositione legis vel statuti ob contumaciam quis pro confessio habetur. per leius, qui delatorem. ff. de iure fisci.

F I N I S.

# 卷之三





01 A 6634




Vd 17.

DISPVI  
TOM



blei  
it.)  
er M  
dienst  
benne  
eine  
aller  
) u.  
rum  
Im  
rest  
binat  
is.  
unit  
uto  
rsitat  
reſt  
i so  
curſt  
is he  
mine  
bene  
depen  
princ  
ecuac  
DI



33.

IO. STRAVCHII, ICTI  
ANTECESSORIS QVONDAM IN ACADEMIA IENENSI  
CELEBERRIMI, CONSILIARIUS SAXONICI, CVRIAEC PROVINCIALIS,  
IVRIDICAE FACVLTATIS ET SCABINATVS SENIORIS  
ET ASSESSORISQVE GRAVISSIMI  
DISPVVTATIO IVRIDICA SOLENNIS  
DE  
**IVRAMENTO  
CALVMNIAE**

Vom  
**Eyd vor Gefahrde.**

QVAM  
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

PVLICE DISQVIRENDAM PROPOSIT

**IOANNES NEUMANN,**  
RACEB. MECKLENB.

AD CANCELLARIAM REGIAM DVCATVS BREMENSIS  
ADVOCATVS ORDINARIVS.

*VITEMBERGAE*  
EX OFFICINA EICHSFELDIANA.

1737.

(7)

